# AVGERII CLVTII M. D.

Opuſcula duo ſingularia.

# I. DE NUCE MEDICA.



## II. de HEMEROBIO ſive EPHEMERO Inſecto, & Majali Verme.



AMSTERODAMI, *Typis* Jacobi Charpentier, ANNO 1634.

Digitized by Google

Digitized by Google

# AVGERII CLVTII
## DE
# COCCO MALDIVENSI.
## I. Opuſculum.



In quo
MEDICI, PHYSICI, HISTORICI,
POLITICI, CRITICI,
exercitium ſuum invenient.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EM. III

Digitized by Google

# PROSOPOPOEIA
# COCCI MEDICI.
De Ampliſſ^m. D.D. quibus Opuſculum I. inſcribitur benemeritis.

## *SCAZON.*

QUis expedivit CLUTIO meum ſenſum,
Præſtantiam, Jubar, decuſque primorem
Inter medentium gregem, imperans Fato?
Quis expedivit CLUTIO meas vires,
Opuſculorum CLUTIO fabro, & limæ?
Qui me volumine, & fruges meas longis
Debebat ob meritum fudiſſe pandectis.
Ut ut brevis præclara ſigna progreſſus
Mei daturus CLUTIUS, meus ſcriptor.
Medicaminum qui ſimplices & immiſtas
Vires, modumque miſtionis enarrat.
REALIUS primum attuliſſe cæmentum,
Solerſque materiem aptam SPECCIUS ſtructor,
Favoniumque blandè afflare CONRADUS
Dignatus eſt, ut Apollini ſacer fiam.
Trium-viris porrò his dicatus exibo.
Coccus triumphans jamjam triplici umbone.
Fulſère verè candidi mihi ſoles!
Factum ô bonum, jam conſuletur ægrotis
Majore curâ, & proſperiore ſucceſſu.

*Autor P.*

# In laudem Opuſculi
# D. AVGERII CLVTII.
## D. JOSEPHUS BUOENO LUSITANUS.

P*Eritiſſimorum Virorum eſt abditas rerum cauſas, earumque virtutes eximias ſpeculari. Quamvis autem de jam inventis veterum diſcurſus auctoritateſque multi faciendas cenſeamus, veluti* Platonem *de ſe benemeritum Præceptorem* Ariſtoteles *extollebat, noſque* Ariſtotelem *celebri cultu veneramur, ob mirabilia ipſius ſcripta & de divinâ auſcultatione exquiſitum opuſculum, noviſſimo tamen hoc tempore navigationes novæ, nova experimenta, novi (ſi dicere licet) orbes ſuis delitiis & utilitatibus mundum exornant, & humanæ Naturæ languoribus medentur. Vt ſero parta eodem jure donanda videantur, quo antiquitus inventa. Orientalis India grandia pandit, & ferè miracula oſtendit. Animalia nimirum fortiſſima, Rhinocerotes ſuperbos, prudenteſque Elephantes, Bezaarticos lapides mirabiles, caprarum virtutes, Smaragdorum margaritarumque copioſam multitudinem, Hyſtricis ſudoriferos lapides, ſummi emolumenti in peſtilentibus & malignis febribus; Rubicundorum Rubinorum ſobolem, umbrante luculo tectam. Hic Adamantorum progenies, & sereniſſimis roridi cæli guttulis margaritæ proveniunt. Quælibet minima ſylva Pomiferos habet ramos, qui levi Zephyro adoleſcentes augentur. Sed quid ad unguem perſequi laboro? Impoſſibile fore exiſtimo herbarum, plantarumque varietates referre, poſtquam ita parens Natura laſcivire viſa eſt in earum virtute & coloribus; ut rectè ſacro Carmine canamus. Perfecta opera Domini; non poſſumus eis quicquam addere nec auferre. Omnia hæc imperante cælo ex ejuſdem fæcunditate, aëriſque & aquæ amœnitate provenire certò ſcimus. Harundines hic in magnam creſcere altitudinem experimur, hominiſque ferè nullas pati ægritudines, nunquam dentium dolores, quorum ſuperfluos humores ſolis radii abſumunt, longevæ vitæ homines ſunt. Si enim fide digniſſimis Luſitanorum hiſtoriis credimus, devaſtatâ*

*Civitate* DIU, *fuit ad Proregem delatus homo trecentorum annorum ætate, qui omnia ipſius patriæ abdita, præſentia & præterita Proregi denunciavit. Et ut ſummatim dicam, miracula prodit hic Divinus Opifex, & ne relictis fontibus rivos inſectari videar, confirmat ſententiam meam ſacra Pagina, Gen. cap. 2. Plantavit quoque Dominus Deus hortum in Eden ab Orienti: hîc odoriferum Cinnamomum, fragrans Moſcus, Calamus aromaticus, lignum Aloës ex Taprobanâ de quo ſcripſit Regius Vates Pſalmo 44. Dilexiſti Iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus oleo lætitiæ præ conſortibus, Myrrhàm, lignum Aloës, & Caſſiam redolent veſtimenta tua. (non Aloes ut malè aliqui vertunt. Nam Aloës ſuccus herbæ eſt non lignum) Parvi rivuli, qui in regione noſtra ſordidi & fætidi ſunt, ob cæli clementiam & benignitatem delectabiles hîc reperiuntur, in quibus redolens capitur unguis, quam ſummus opifex in odorem ſuaviſſimum ſibi elegit, ut conſtat Exodi cap. 30. verſu 34.. Et facies ipſum ſuffimentum aromatum &c. qua propter in admiratione͂ rapimur, ubi Nucis noſtræ Medicæ ſeu Cocci Maldivenſis Magnalia procreantur, cujus virtutes eximiæ ſunt, eáque de cauſa ab omnibus Hiſpaniæ Luſitaniæque Principibus deſideratæ magnifico pretio venundantur. Medullæ albæ iſtius Nucis elapſis jam plus minus quinquaginta annis egomet ipſe in Aula nobilium periculum feci. Omnium verò longè in ſimilium rerum arcanis ſapientiſſimo D.* Augerio Clutio *credimus; ejus veram Hiſtoriam virtuteſqne conſequemur, quibus poſsimus morbis mederi. Maneat Lucubrationum iſtarum perennis Fama, gratum omnium applauſu, dilectabileque opuſculum; & generoſa Germanorum cohors tibi gratias aget. Invidorum colluviem ne timeas, ſitiant & deliteſcant in umbra, & veluti ſcripſit Poëta* Seneca, *ſtet luſus vacuo gutture Tantalus. Accipiat verò Patria hæc magna quæ magna offert celebris Clariſſimuſque Doctor, & perennis artis noſtræ honor.* Te decus atque ſuum dicet Germania clarum,
Nam majeſtatis ſummæ penetralia rimans,
Abdita, Germanis patefacta induſtrius offers.

EPI-

## EPIGRAMMA,

*In Librum*

Clariſſimi atque Excellentiſſimi MEDICI

# D. AVGERII CLVTII Botanici inſigniter experti.

USibus humanis ut res eſt quælibet apta
Conveniens pretium ponitur inde rei.
Ex Nuce Maldiva quas dotes terra refundat
Eximiâ CLUTII dirigit arte liber.
Hæc erit in pretio, Pindique augebit honorem,
Inter Apollineas dum numeratur opes.
Ad Stygias idem jubet ablegarier undas
Infauſto celebrem nomine Hemerobium,
Quippe venenatis effectibus inſidioſus
Peſtifer humanis uſibus eſſe ſolet.
Quantus honos debetur ei, damnoſa probatis
Diſtent invictâ qui ratione docet.

*Amicitiæ cauſâ fecit*
NICOLAUS FONTANUS, Med.

# Ad AVGERII CLVTII Nucem Medicam.

EPIGRAMMA.

*EX auro Chymicus, Divinis ex Nuce morbis*
*Invenit Antidotum* CLUTIUS, *ergo pares.*
*Promittit Chymicus, ſed præſtat* CLUTIUS*: impar*
*Hinc laus, hinc vobis convenit impar honos.*
IOH. ANTONIDES vander LINDEN, Med.

## AD AVTOREM.

ABdita quæ latuit Batavis Nucis intima virtus
Arguitur CLUTI dexteritate tuâ.
Multa de HEMEROBIO priſci dubioſa dedêre,
Ambiguum ſcriptis tollitur omne tuis.
Ut varios ægris poſſis expellere morbos
Sudaſti, tibi laus, hinc tibi fama redit.

In *Orphea* primi & *Charonta* ſecundi Opuſculi.

IAM *Coccum Medicum*, melicum *Orphea* jure probabo,
Qui ægrorum revocat millia ab interitu.
At vos deteſter, quêis tanto in honore *Charontis*
*Majale inſectum*, nomine *Hemerobii*.
*Obſervantiæ ergo colendo ſuo Patrono P.*
*I. a GROL, Med. D.*

*Ad Cl. & Doctiſſim. Virum*
D. AUGERIUM CLUTIUM, avunculum colendum.

*FErtilis illorum ſeges eſt qui plurima fundunt,*
*Sed qui ritè queat ſcribere, rarus adeſt.*
*Vnus es in paucis, cui ne trivialia pandas,*
*Ipſe ſuum lætus ceſſit* APOLLO *melos.*
MATHEUS SPRANGER.

INDEX

# INDEX CAPITVM
## Et Memorabilium.

### Opuſculi I.

# DE NVCE MEDICA.

### CAPUT I.

Pharmacorum inventio immenſum beneficium Dei.
Poſt animæ ſalutem, corporis ſanitas primum locum occupat.
Machinæ æneæ ad hominum perniciem inventæ ſunt.
Typographia conſervandis literarum monumentis idonea, ineptias quoque literatorum fovet.
Fulvum metallum Chalybe nocentius.
Argonautæ Europæi novum orbem, maris clauſtra, & innumeras inſulas patefecerunt.
Pharmaca exotica à Nautis noſtro orbi illata ſunt. & Nucis Medicæ primatus.

### CAPUT II.

Situs Inſularum apud quas reperitur Nux Medica. Earum latitudo, ſeu altitudo Poli.
Inſulæ duodecies mille, in Provincias tredecim diſtinctæ; forma earum; aliæ fertiles, aliæ ſteriles.
Maldivenſes Inſulæ ad uſum & luxum omnia ſuppeditant.
Fruges & animalia Europæ in inſulis Maldivenſibus nulla.
Nux Medica in littore tantum reperitur maris æſtu allata.
Nux M. tanquam Ambarum fuſcum in littus ejcitur.
Nemo non niſi ad Regem delaturus N. Med. tollit.
Nux M. Ambaro præponitur.
Qui dives repentè factus Tavarcarè inveniſſe dicitur quod nomen in Inſulis N. Med. habet.
Inſularum Reges non niſi Magnis donare ſoliti Nucem Mediam.

(**) CA-

# INDEX.

## Caput III.

*Nucis Medicæ origo variè jactatur.*
*Inſula* Palloys *producere nucem Medicam à potioribus creditur.*
*Matura* Nux *Med. æſtu maris in oras Maldivenſium ejicitur.*
*Inſula* Palloys *omnium terrarum beatiſſima humano aſpectui à Cacodæmone ſubtrahitur, nonnunquam ignaris ſe offert videndam.*
*Inſulam Palloys nemo ſine procellis ſublegit. inventam nemo ſine Cacodæmonum ſpecie & cruciatu frequentat.*
*Ex Inſulà* Palloys N.*Med. in Vniverſum orbem deſertur.*

## Caput IV.

*N. Med. gemina ſemper, ovali figurâ, & dividi nequit propter vincula.*
*Medulla N. Med. tegit interiora utriuſque Putaminis, ejus Forma rotunda ſeu fabacea.*
*Nucleum N. Med. tunicæ quædam tutantur.*
*Totus Nucleus non excernitur, ubi ſcyphus inde fabricatur, pars relicta in duritiem ipſius Cocci vertitur.*
*N. Med. adaperta exprimit cymbia duo, & uſui interno & externo applicatur, medulla ex catenulà aureà appenditur.*
*Dividendæ Medicæ nucis ratio.*
*Poculi gemini ex nuce Medicà extremitates niſi auro conjungantur, ad uſum inhabiles. Pyxidis vicem aliquando ſupplet.*
*Scyphus ex N. Med. Remedia plurima contra morbos habet.*
*Nucis expolitæ putamen naturali cælaturâ dotatum, color ejus ex nigro ſaturatus.*
*Magnitudo à melonum majorum ſpecie, & magnitudine non recedit,*
*Modus poliendæ Nucis, oleum in poliendà nuce noxium.*

## Caput V.

*Catagraphus Nucis Medicæ.*
*Archithalaſſus* Wolfardus N. *Med.* Clermontio, *cui affinis ſublegavit.*
*Imperator* Rudolphus II. *quatuor millibus Florenorum*, N. *medicam redimere, ſed fruſtra, conatus eſt.*
*Modus quo* Wolfardo *Nucis copia facta eſt atque Hiſtoria.*
*Luſitani à Wolfardo compulſi obſidionem urbis Bantam deſeruerunt.*
Wolfardus *in præmium liberationis* N. *Medicam à Rege accepit.*
*Batavis Libertas data quælibet coemendi & colligendi in Bantam.*
*Summa facies fructus impudicè laſcivientis, quare à Rege ablata, conſtat.*
*Facies N.M. extrema pudendum muliebre & podicem refert, non impare magnitudine.*

*Varia*

Digitized by Google

# INDEX.

*Varia forma* N. *Medicæ,tam* Integ*ræ, quam in partes geminas diviſæ.*
*Spiracula Nucis obducuntur introrſum medullæ portiunculis. Cauſa.*
*Apud quos reperiatur in patriâ noſtra, & extra.*
*Contemplatio varia plantarum , & fructuum in terrâ & ſupra eam , quæ a Natura ipſa deſcribi videntur.*

## Caput VI.

*Cl.D.* Realius *Aphoriſmis* N. *Medicam enodavit.*
*Nux Indica vulgaris omnia ad vitam neceſſaria, Maldivenſis ſanitatis remedia profert.*
*Vulgaris Palma coccigera omni tempore fertilis eſt.*
Coccus Maldivenſis *verè* Orpheus *dicendus, vel* Panacæa.
*Commoda vulgaris Nucis in quibus Authoribus reperiantur.*
*Vulgaris cultro dividitur facile,hinc humor clarus & potui aptus eliquatur.*
*Serum caſeatione facta in centro locatur.*
*Conjectura tantum eſt,humorem nucis medicæ in ſolidam maſſam coagulari.*
*An Cocci Mald.origo ex Palma arbore in Maris profundo? natalis idem qui fruticum & plantarum marinorum eſt.*
*Vita & Nutricatus plantarum.*
*Caſeationis exemplum à Cl.*Realio *adductum &c.*
*Cocci vulg. cortex induratus ferro aperitur.*
*Quæ in aperto vulgari Cocco animadvertenda veniant.*
*Medulla vulg.Cocci nucleo avellanæ noſtratis aſſimulatur; ad lac, & emulſiones, nec non coquinæ neceſſaria ob tenetitatem utilis.*
*Maldivenſis natura ex parte incognita eſt quod ex maris profundo exeat.*
*Cocco vulgari & Arecca involucra multa circumpoſita ſunt ad tutelam,tanquam fœtui in utero.*
*Sepulvedæ error à Garſia obſervatus.*
*Varia Coccorum Indoles pro locis Variis.*
*Inſula maragnana quatuor Palmarum ſpecies exhibet.*
*Theſaurus exoticorum* Autoris.
D. Bontii P. M. *Plantarum Indiæ deſcriptiones.*
*Uſus Medullæ vulgaris vitam ſuſtentat , Maldivenſis Medicæ ſanitatem conſervat.*
*Medulla utriuſque* Nucis *eſt potior pars.*
*De Varia germinis aut Gemmæ figura.*
*Germen in conſervationem ſpeciei adoleſcit, veluti aliorum quoque fructuum nuclei.*
*Folia Palmarum non ſeruntur.*
*Gemma Margaritarum æmula raræ inventionis.*
*Gemma in partibus internis ſpiritibus atque alimento communi fruitur.*
*Gemma ad juſtam magnitudinem perlata , naturæ decreto in cavitatem nucis ſeparatur.*
*Gemma ſeparata ſuis ſe igniculis ſuſtentat.*
*Gemma in duritiem nativam Natura conſilio efformatur.*

# INDEX.


*Sanguis extra venas vel coagulatur, vel putreſcit.*

*Gemma ut ut dura germinationi apta.*

*An* Germen *primitivæ arboris ſpeciem edere queat dubitatur.*

*Gemmæ præ laxitate aperturæ in ſiccis & neglectis nucibus aliquando intro rediguntur.*

*Gemmarum numerum aliquem* Autor *habet; & lapilli apud eundem ſingularis deſcriptio.*

*Lapillus tranſparentia unionis dotatus, in quo foliorum* Idæa *viſitur primitivorum.*

*Foliorum diviſio quomodo adoleſcat; Fabæ, Phaſeoli, ſtirpes grandiores Indicæ, ex* Wingandacouw, *Cola alba, rubraque exemplum præbent.*

*Coagulatum velut pomulum in* N. Vulg. *leve & ſpongioſum maſculæ Palmæ proprium, eſui aptum.*

F. Pyrard *liquorem tantum in germen verti & medullam in germinationis fomentum illi additum ait.*

*Idem malè cenſet maturam & ſiccam nucem terræ mandandam.*

*Generales Indiæ decem mille nuces cumularunt ad plantationem, quarum quæ germen abſolutum habent terræ committi debent.*

*Omnis gemma ſolitaria ſi in terram deprimatur, radicum fibras tantum, non materias creat.*

Thobiæ Roelſii *Epiſtola ad* C. Cluſium: *qua de germinatione autopſiâ plurima notatu digna aperit.*

*Germen ex nucum foramine tertio exit, & perforat villoſum corticem.*

*Cl.* Realius *aſſcribit maribus germinationem eſſe propriam.*

*Palmæ perditè ſeſe amant.*

*Spiraculorum uſus, & ſitus: Spir. ſunt foramina.*

*Quare Germen* N. *vulg. & Med. in gemmam ſeu lapillum verti poſſit.*

*Gemma aut Germen à Nucleo deſertum veſtigia tantum foraminum prætendit: intra ſe claudit quo ſubſtantiam & ſpecimen trahit.*

*Non omnes fructus nucleo ad propagandum opus habent.*

*Lapilli ex germinibus nati vim medicamentoſam habent, quare Indi eos annulis includunt.*

*Idiotarum gratia non explodenda ſunt, quæ de occultis naturæ viribus, à majoribus & neotericis traduntur.*

*In terræ viſceribus mira efformantur quorum cauſa ignoratur.*


## CAPUT VII.


*Cl.* D. Speccius *Epiſtolâ divulgat inſignia N. Medicæ & virtutes admirandas.*

*Idem quadringentis ad facultatem pertinentibus, quæ nundum uſu comperta, orbem ditaturus.*

*Autor* Theſaurum *hunc in ordinem digerere pollicetur.*

*Legitimus de Maldiva Coccus in aulis Indorum principum miro honore afficitur.*

*Coccus de M. peculiaris arboris ſoboles eſt, & ſui generis.*

*In litore Indico anno* 1608 *navigium Cocci vulgaribus plenũ interceptũ à Batavis.*

*Armamenta, mercimonia, cibus, potus conſtant ex ligno, foliis, fructibus, cortice cocci arboris.*


*Maldi-*

Digitized by Google

*Ialdivenſes veſtium atque aliorum neceſſariorum verſura Coccos commutant.*
*. de Mald. in paucis inſulis, & numero contracto repertus à proceribus uſucapitur & diligenter cuſtoditur.*
*nno* 1614. Speccius & *præſes* Coenius *Pangoranum Bantamenſibus imperantem conveniunt.*
*ex occupatus circa C. Mald. torno & miniſtris.*
*. Mald. regius magnitudinis raræ, ſubtilis ſubſtantiæ teſtam habet & atram.*
*occus in fruſta diſſectus, ſtudio an caſu.*
*ex æque minutas particulas quam magnas cuſtodivit, minora fragmenta caliculis, ſcyphulis, cochlearibus & alijs formis appropriavit.*
*ondiacti Mercatores Parenti ſuo magni muneris inſtar Coccum obtulerunt, unde Regi copia facta eſt.*
*pud Javanenſes, Malayenſes, Malabares atque alios Indiæ populos Medicinæ laude cenſetur ad* Toxicum, *morbos divinos, febres, ab ijs uſurpatur.*
Coenius *à Rege eluſus quod fruſtula quædam petierit in uſum.*
*egis ſententia, ſatis fælicitatis eſt Coccum oculis uſurpare, & apud Reges & Principes diverti debere, non autem apud minorum* Gentium Generales.
*ex ad Coenium & Speccium redit ſepoſitis fruſtis.*
*peccius novitate rei impulſus minutulum* Coccum Maldivenſem *conquiſivit, ſed à noſtrâ differentem.*
*pecciani Cocci ovi anſerini magni teſta ſcabra, craſſa, color ſaturatus, odor fragrans, ſapor amaricans, oſſeaduritiés.*
*peccius proprio ſatu Plantarium vulgarium Coccorum adornavit.*

## CAPUT VIII.

*es Botanicæ humani ſtuporis vitio diu neglectæ.*
*plaſiarii & Monachi Herbariam rem funditus everterunt.*
*d quem pertineat fundi Medici calamitatem nitori ſolito reddere.*
*utor ſalutarem ſcientiam à pernicie ſervare ſpondet.*
*lem adminicula ſe habere fatetur à noſtro & antiquorum ſeculo.*
*iligentiæ merita laudanda.*
*heſaurus exoticorum aliquando in lucem edetur.*
*edicæ nucis quinque tabellæ.*
*: libris ſolis nemo Botanicus aut Anatomicus inſignis efficitur.*
*ulus exterior internam mentis aciem illuſtrat.*
*pecies niſi in ſenſibus recipiuntur, otioſa earum oſtentatio eſt, autore* Scaligero.

## CAPUT IX.

*cies diverſæ ad vivum delineatæ tabellis offeruntur cum pauculis notatu neceſſariis.*
*minam nucem* Thalaſſiarchæ Wolfardi *munere tota affinitas poſſidet, cujus icon præmittitur.*



Digitized by Google

*Venia ſculptori conceſſa.*

*Figura nucis Maldivenſis duplicatæ pyxidi comparanda effuſioni propter rimas inepta &c.*

*Summa pars ſenſim declinat in modum interfeminii facie oculis pudicis aſpicienti horrida.*

*Modus ſectionis & utilitas.*

*Pars ſumma acuminatior ſedes eſt germinis ſeu gemmæ.*

*Spiracula duo ad Cymbium conſolidandum obturanda.*

*Apud quos reperiantur Cocci Maldivenſes. Vide alibi.*

*Integra Maldivenſis Nux colliculum Veneris repræſentat.*

*Gibba Nucis pars fæmoralia poſtica refert, quæ clunibus turgent.*

*Dimidiatus Coccus ad ſcyphi uſum concinnus, cui ſi altera pars addatur, par calceorum Ruſticorum vulgò* een paer hulſters *exprimunt.*

## CAPUT X.

*Auctoritates alienæ ad Cocci lucem adducuntur.* C. Cluſius *Garciæ & medicorum ſententias è Luſitana in linguam latinam tranſtulit.*

*Ipſiſſima* Cluſii *verba ad majorem fidem adducuntur. Garciæ verba apud* Cluſium *pagina* 100. *ejuſdem diffidentia.*

*Quibus morbis medeatur Coccus. Vide etiam infra.*

*Cocci Mald. cortex, medulla, qualis figura, color & ſapor. quæ doſis.*

*Cocci nunc ſoli, nunc gemini reperiuntur in litore, nec ullus eos tollere audet niſi ſtatim delaturus ad Regem.*

*Pulpa ex his Coccis eximitur, & exſiccatur eadem ratione quâ copra, ſed acquirit corneam duritiem Vliſſiponæ venalis Coccus Maldivenſis & Medulla ejus.*

*Hiſtoria vaſis ex Cocco M. reperti in prætoria navi ab Anglis occupata, ejuſque longitudo & latitudo.*

C. *Mald. ab Incolis & Malabarenſibus tam plebeis quam nobilibus commendatur ad omnia fere morborum genera.*

*Pocula effigiantur in navium triremiumque formam ad aquam bibendam, in quibus Medullæ fragmentum ex catenula pependit.*

*Falſum eſt ex poculis illis bibere ſolitos in nullum morbum incidere.*

*Futile, quod ex vaſculis hiſce bibere ſoliti, Iecoris incendium, renum noxam & calculum contrahant.*

*Nuces ſimplices ſeu nudæ & medulla privæ quinquaginta aut amplius nummis aureis æſtimantur.*

Chriſt. à Coſta *commentum ſuum ex Garciæ aromatoria hiſtoria deprompſit.*

Martinus Ignatius *ord. Franciſc. non perfunctoriè nucem Indicam vulgarem tractat.*

I. Hugo Linſcotanus *exquiſitè tractat & ab alijs quoque mutuavit.*

Autor *mutuaſſe quoque ſe fatetur Cap. ſecundum & 3 ex* Pyrardi *ſcripto Gallico.*

*Nucum legendarum, aut piſcandi modus ab Autore neglectus, qui & ſuperflua corradere negavit.*

*Nō*

Digitized by Google

*Non omnes Cocci Gemini ejuſdem ſunt formæ.*
*Wolfardtanus pyxidi aut capſulæ tantum duplicatæ habilitatem nactus.*
*Ex quibus rebus Indi maſticatoria derivent.*
*Quæ nucum Medicarum ſit Capacitas ex Linſcotano quæ ad Hiſpan. Regum quondam miſſæ.*
*Adornandi Cymbia modus concinnus, & quale illud quod ad Regem Galliarum delatum eſt.*
*Philotheſeias & Iatrices poculum.*

## CAPUT XI.

*Putaminis raſura inſipida eſt, ſine odore, ſine ullâ qualitatis repugnantia.*
*Teſtimonijs aliorum & domeſtico exemplo Autoris omnia dicuntur.*
*Chriſtophorus à coſta & C. Cluſius rem male perpendentes, rationi non inſerviunt.*
*Ratio certa eſt, experientia infida.*
*Nucis Medicæ inveſtigatio dubia eſt, quod raro in Europa inveniatur.*
*Color Nucis Medicæ putaminis inſtar Ebeni ater eſt, vulgaris ætate & tincturâ ater redditur.*
*Quomodo liquor putamini committendus ſit, quo tempore ſcyphus obturandus, quove loco conſervandus, aliorum eſt indicare.*
*Non eſt periculoſa indago, poſtquam ſola ſiccitas in eâ ſe propalat.*
*Nux M. etſi frigida temperamento, caloris tamen particulas obtinet, ſiquidem ex quatuor elementis conſtat.*
*Vaſcula ex ligno & corticibus Thamariſci, ne in continuo quidem uſu virtutes amittunt.*
*Scyphus ex antimonio arte Chymicâ factus nullâ uſus frequentiâ facultates ſuas deponit.*
*Nucis M. integumentum internum non minorem Leptomeriæ guſtuſve gratiam habet quam Thamariſcus.*
*Thamariſcus roborat, reſerat, &c.*
*In Naturæ opere multa ſenſibus obvia ſunt quarum ratio reddi nequit.*
*Medici Rationalis munus eſt abditas quoque qualitates perſcrutari.*
*Medulla ſolitaria, atque aliis ſimplicibus miſta ad effectum valens eſt.*
*Medulla ob corneam duritiem lima radi nequit, ſed cultro & mallei percuſſu adacta finditur.*
*Medulla mortario æneo & piſtillo ferreo in pollinem redigitur, qui inodorus & inſipidus ut Lapis Bezoar Occidentalis, cui ſtriis & colore affinis eſt.*
*Medulla ovilli caſei cruſtæ veteri aſſimulanda, cujus pars interna rimoſa, externa ſoliditatis firmæ & ſpani coloris.*
*Alvis non eſt moleſtus cum aſſumitur.*
*Calor & ſucci ventriculi pulverem in actum ducunt, poſt diſſolutam ab iiſdem ſubſtantiam.*
*Integumentum internum tenellum eſt, coloris ferruginei, craſſitudine corii hircini*
*ex quo*

Digitized by Google

*ex quo calceamenta formantur.*
*Cortex fibris quibuſdam variè diſtinctis præditus eſt.*
*Cortex ſeu integumentum internum craſſiorum partium ignavè ſubaſtringit.*
*Cortex non ſe colligit inter mandendum, ſed per univerſam linguam ſe ſpargit.*
*Geminis Hiſtoria Cl.* Realii *Aphoriſmis digeſta eſt, ſed ſcholiis Autoris dilucidata.*
*Autor ad uſum omnia, non oſtentationem producit.*
*An Mald. Nuci corticoſum aut villoſum integumentum extrinſecum ſit? incertum.*
*Autor aliis ſcribendi libertatem non invidet, qui meliora edoctus ſua revocare paratus eſt.*
*Varietatem* N. *Indicæ vulgaris in Lapillos converſarum* D. Samuel Blommert *oſtendere ſpondet.*

## Caput XII.

*Hiſtoriæ ex quibus obſervationes & experientiæ Autoris derivantur.*
*Autor à Collegii rogatus Garſiæ experimentis peculiaria ſua adjungit.*
*Quæ poteſtas præſidii ſit, qui utendi modus & tempus.*
*Ægrorum quorum Autor mentionem facit bona pars ſupereſt, unde fides mutuanda.*
Kriteria *duo Experientia & Ratio. Quibus* Ariſtoteles & Galenus *innituntur.*
*Hiſtoriæ ægrorum apud quos nulla humorum præparatio, evacuatio, aut veneſectio locum habuit.*
*Hiſtoriæ ægr. quibus venaſecta & alvus purgata.*
*Vomitus à veneno cauſatus non reprimendus.*
*Vomiturientibus fruſtra* N. *Med. uſus obtruditur.*
*Autor tepidum, ol. Amygd. Lac, vinum propinare ſolet.*
*Si primus uſus inefficax eſt, repetitur ſecundus, parum mutatis præcedentibus.*
*Dummodo in doſi non peccetur, ſexus, ætatis, aut virium parva ratio habenda.*
*Doſis à* ʒ ß *ad* ʒ j *aut* ℈ iiij. *circumſcribitur.*
Lucas a Salingen *poſt devoratum jecur piſcis Aſelli fœtore fauces ſuas infeſtari ſenſit, qui ſolo pectore ad diſploſionis uſque periculum intumuerat.*
*Idem animo pœnè deficiebat, pulſu variè agitato, thorax ſolus Syſtoles & diaſtoles mortem motu minaatur.*
*Æger raſura Corticis interni pondere* ʒ ß *è vino Hiſpanico extra nauſeam & vomitum collocatus eſt.*
*Hauſtuli ex majore doſi corticis & medullæ exemplum adducitur.*
*Hiſtoria Tibicinis Filiæ Amſterodam. intoxicatæ arſenico.*
*Quibus ſanitas reddita eſt citra fœdam macularum eruptionem.*
*Exempla ſeſe interimere volentium Autor ſtudio tranſit, ne mentione eorum facta infamia ſequatur.*
*Multi ab aſſumpto Auripigmento illæſi manſerant ſolis maculis fœdati.*
*Eques & Legatus Galliæ anno* 1625. *colicâ paſſione à bile laborans penes ſitim pœne inextinguibilem.*
*Huic frigidâ interdictâ à medicis, hydropotam ſe natura declaravit.*
*Præmiſſo enemate atque aliis, Legato aqua potabilis cocta, frigidaque è Nuce Maldivenſi propinata eſt.*

*Legatus*

*Legatus ſanitatem adeptus eſt, doloribus fugatis.*
*Aliud exemplum in Legato qui capitis dolore preſſus poſt clyſterem & ſanguinis miſſionem Nuce Medica uſus reconvaluit.*
*Exemplum Syrupi è cochleari deglutiendi.*
*Hiſtoria in eodem legato quarta, qui fragorum eſu aqua & ſacchаro inſperſorum ſine vino ad hydropem vergebat, huic Scyphi Malavici uſus interdictus.*
*Idem dubiæ valetudinis vini uſum aggreſſus tremoribus convulſivis paralyſim præcedere ſolitis atque hamiplagia affectus, tandem Epilepticis inſultibus, Ellebориſmo & magiſtralibus è Cocco M. bene habuit.*
*Magiſtralia poſt recitatas hiſtorias ante Epilogum ſubnectuntur.*
*Hiſtoria in cive Amſterod. qui acutè febricitans voluit ſibi interni integumenti ad* 31 *pondus potioni* Theriacali *ab Autore præſcribendæ miſceri.*
*Autor ſine medici præſtantis autoritate medicamentum ignotum uſurpare negat.*
*Æger Cocci internum integumentum ſalutare in febribus fuiſſe ait, quibus in India laboravit, nec non in difficultate partus ab Indiæ fœminis laudatum.*
*Æger petita medicina uſus à febre liber remanſit.*
*Reliquias Autor in ſenis parturientibus exploravit.*
*Exemplum* D. Ioan. à Grol *Med. in muliere à partu liberatæ uſu medullæ.*
*Ejuſdum aliud exemplum propinatæ raſuræ putaminis in calcearij uxore, quæ fruſtra alijs adhibitis ab uſu Cocci fœliciter peperit.*
*Hiſtoria* IX *in uxore* Nauwingij *quæ triduum continuum in partu trahens fruſtra ab obſtetrice adhibitis medicamentis raſuræ beneficio demortuum infantem enixa eſt.*
*Hiſt.* X *in* Illuſtri Principe de Guimenet, ducis mon Baſon filio *qui dyſenteria cruciabatur.*
*Quatuor Medici convocati quod ars & res poſtulare videbatur Principi adhibuerunt.*
*Princeps ex nuce Mald. hordeaceam aſſumſit qua vinum rubellum diluere ſolebat, & cum valetudine in gratiam rediit.*
*Hiſt.* XI. *in* Equite des Gouttes *qui cardialgiâ laborans intermedii Corticis raſuræ & Nuclei uſu ſalutarem expertus eſt manum, ex Conſervis &c.*
*Hiſt.* XII. *in Dordraceno qui prius ſpaſmo compoſito & tremoribus convulſivis affectus, poſt prodroma ſigna in articulo pollicis pedis ſiniſtri & pollice dextræ manus medullæ ʒ j. ex tenui cereviſia hauriens ſtatim ſolitæ temperiei redditus eſt, ſed quater hauſtulo repetito.*

## CAPVT. XIII.

*Quid magiſtralia in Officinis.*
*Autoris magiſtralia ex nuce Mald. tantum confecta.*
*Menſtruum Chymicum pulveri alicui è cocco miſcere ut reſolvat ſupervacuum Autori.*
*Quid magiſterium dicatur* Paracelſo. *Vide Archidoxa.*
*Pulvis Autori velut Lapis Bezoar ventriculi calore & ſuccis excitatur ad opus.*
*Quâ ſerie medicamenta pulveri miſcenda.*

*Medicamentorum è Cocco Compoſitio.*
*Medulla Cocci quæ Alexipharmaca & ſpecifica conveniant, & qua forma exhibenda ſint.*
*Adverbia tria,* Tutò, Citò, Iucundè, *tribus inſtructiſſimis officinis potiora ſunt.*
*Suavia Alexipharmacis miſcet Autor, ut* tutius & Iucundius *operentur.*
*A veneno aſſumpto, aut ejus ſuſpicione, quod præ manibus eſt in uſum vocandum.*
*Quatre ſimplicium medicamentorum, quibus ponderis ſignum additum eſt, habenda ratio.*
*Formularum magiſtralium diverſitas.*
*Form. in capitis &* Nervorum *vitiis,* Epilepſiâ. *paralyſi, convulſionibus, tremoribus.*
*In dyſenteriâ cruentâ & torminibus, factâ ante proviſione per Rhæum & clyſteres.*
*In difficili partu.*
*In Peſte, & febribus malignis.*
*In coli doloribus, & aliis inteſtinorum vitiis.*
*In veneni aſſumptione variæ formulæ.*
*Hiacynthorum confectio Autoris.*

## CAPUT XIV.

*Medicamenta alia artificialia, alia naturalia.*
*Hiſtoria dentis Elephanti.*
*Imperator Ruſciæ dentem hunc Alcis coriis conſutum è terra eruit.*
*Dens librarum quadraginta fere æſtimatus eſt.*
*Compages prius oſſea dentis in medullæ compagem verſa.*
*Imperator novum experimentum dentis conditorio facto facere ſtatuit.*
*Cornu cervinum in ſummis ædibus cereviſiarii in mollem & pulpoſam ſubſtantiam ex dura converſum eſt annorum 50 circiter vapido halitu afflatum.*
*Naturæ opera tardi effectus artis adminiculo accelerati queunt.*
*Exemplum quo oſſa, cornua, dentes trium hebdomadarum ſpatio in aliam ſubſtantiam vertuntur.*
*Modus præparationis.*
*Secreta prædicta nemo ob juramentum factum divulgare auſus fuit.*

## CAPUT XV.

*Cocci Maldivenſis dotes non ſolum efficaces, ſed etiam tutæ admirabiles, incredibileſque.*
*Antiſtes Alexipharmacorum Coccus Maldivenſis.*
*Cocci Mald. acceſſu Medicina aucta, & illuſtrata.*
*Cocci nominalia & luſtricus dies.*
*Cur Autor ſero nominis explicationem aggreſſus.*
*Palma Coccifera Indica non fuit veteribus nota, ſecundum* Cl. Salmaſium *exercit. Plin. pag. 1321.*

*Indi*

Digitized by Google

# INDEX.

*Indi Nucem vulgarem caré, cocoibne, & Coc vocant. Luſitani Cocco Hæbreorum. Coac quaſi Cac Coccum denotat teſte* Guicchardino.
*Cur. fructus huic nomen Cocco dederint, fit ob tria foraminum veſtigia quibus cercopitheci faciem repræſentat.*
*Garciæ prædicta ratione commentum ſuum defendit.*
*Minus bene Nuci nomen datum eſt, quod ſimia præſertim irritata talem vocem edat.*
*Coccus à Græco derivatur, & quia Gr. Coccum vocent, & quid Aquitani, &c.*
*Palma quaſi parilema à pariendo dicta.*
*Gemma, oculus & germen Botanicis ſignificat unum & idem.*
*Garcias Indos palmarum germinibus veſci ait, quorum collectio fit cum arbore: ad ædificia cæduntur.*
*Germina formicæ appetunt, ſed cum arboris jacturâ.*
*Germina gratiora palato quam caſtaneæ, aut humiles palmæ, quæ vulgo palmites, Italis cepaglioni vocantur.*
*Vetuſta palma delicatius germen producit.*
*Ablato germine perit palma quælibet.*
*Species quædam nucis Indicæ quæ inſtar pomi noſtratis edulis, tenera, & ſuavis.*
*Primis menſibus antecellit vulgaris, ubi maturitatem conſequitur deterior & ineptior uſibus.*
Ruellius *molluſcam, ob molliorem & teneriorem carnem vocitat. Item malum fugax quale Perſicum.*
Geſnerus *molluſcam nucem inter juglandes ponit propter molle putamen.*
Pyrardi *nux putamen molle & veſcum habet, quare ab Autore molluſca nominatur.*
Moracia, *moracilla propter durum putamen à morâ frangendi ab eodem nominatur.*
*Omnes Palmæ exhilarantur flore.*
*Flos Palmæ Coccigeræ luteo fulget colore, magnitudine fructui æqualis. Maldivenſis nec florem nec plantam nemo vidit.*
*Fama eſt apud noſtrates qui in India vixerunt varietatem aliquam coccorum dari.*
Autor *non agnovit, aut coacervavit coccorum congeneres, præter quinos aut ſenos, quos Maldivenſi conferre non licet.*
Mathioli *Cuciophora & alterius Palmæ fructus huc advocandi non ſunt.*
*Autor eicones prædictorum pollicetur.*
*Autor adminiculis Hiſtoriographorum antiquorum, & neotericorum penſum ſuum abſolvit.*
*Medicamentum Maldivicum quaſi manus Dei eſt operantis citò, tutò, jucundè.*
*Ad Palmas referendus fructus Cl.* de Laet *Totocke appellatus, atque alter duriſſimo & lignoſo putamine quo duæ Nuces continentur.*
*Totocke iconem vicenis nucibus prægnantem Autor brevi exhibiturus eſt.*

Finis argumentorum & memorabilium Opuſculi de Nuce Medicâ.

# INDEX CAPITVM
## Ac Memorabilium.

## Opuſculi II.
# DE HEMEROBIO,
### ET VERME MAJALI.

AUTOR *ſolum Ephemerum deſcripturus aliorum inſecta tranſit.*
I. Dortmannus *Autorem ad inveſtigandum compulit.*
*Idem Friſicarum Plantarum à ſe ſuſceptam Hiſtoriam Autori tradidit.*
*Autor Hemerobium tractans plantas Cl.D.* Mulerio *commiſit.*
*Rudolphi Imperatoris pictor* Houſnagel *Autorem Hemerobii imagine cum Hiſtoria donavit.*
Autor *Neotericorum & veterum ſententiis perpenſis de Ephemero tractare inſtituit.*
*Idem controverſias, alienos errores, atque Eloquentiæ floſculos prætermittit.*
*Idem adminicula ſcriptionis pauca in Autoribus inveniens ad familiarium opem ſe contulit.*
*Autor Hemerobios manu verſaſſe non judicat ſatis eſſe qui naturam quoque illius aſſequi laborat.*
*Idem plebeculæ judicium non contemſit Autoritate Hollerii, l.2.Ch.c.2.*
*Idem diſcrepantias ſententiarum præmittit.*
*Cavendum ne mentione Ephemeri aut* Meybloem *eadem eſſe animalcula aut penitus diverſa putemus.*
*Varia appellatio Hemerobii. Roterodamenſes eum* haft *vocant.*
*Proverbium apud Moſæ Accolas ex Hemerobii multitudine natum.*
*Multitudo Inſecti ſubita morte compeſcitur.*
*Proverbium Ephemeri vita quibus aptandum.*
*Eſt & Piſcis Ephemerus dictus, cujus natalis & mors deſcribitur à Vincentio.*
*Ephemerus duarum herbarum nomen eſt. ratio Etymologiæ ibidem.*
*Æliani Ephemera animalcula unde naſcantur & quo nomine appellentur.*
*Hujus nominis omnia brevem vitam nacta ſunt atque ideò Ephemera dicta.*
*Cavendum ne confuſis nominibus rerum turba naſcatur.*
*In botanologiâ & vareno morbo diſcrepantiæ.*
H. à Bra, P. Foreſto *Hiſt. novi morbi & incogniti communicavit.*
Caſp. Hofmannus & Ioan. Wierus *de morbi natura conſulendi.*

### CAPUT II.

*Vocabulorum ambiguitas erroris cauſa.*
*Nomina, cognomina, prænomina & agnomina pro arbitrio hominum rebus induntur.*

*Vicinæ*

Digitized by Google

# INDEX.

*Vicinæ aliquando inſcriptiones, aliquando remotæ.*
*Cl.* Salmaſii *ſententia in Plin. Exerc. pag.* 1280 *de ſinonimis & homonimis. Et pag.*1285. *litt.*C.& *litt. A.& pag.*124. *litt.*E.
Autor *Lectorem ad inquirendi diligentiam adhortatur.*
*Homonimia plantarum & fructuum, atque inſectorum cauſa erroris.*
*Epiſtola* Vogellij *Affinis ad Autorem, Varenum morbum & Ephemerum tractanis.*
*Aſſumti a virgine Hemerobij hiſtoria à Vogellio tradita; cui alterius Virginis alia annectitur.*
*Symptomata poſt aſſumptum vermem varia.*
*Remedia ibidem adverſus Symptomata.*
*A dimidio verme aſſumto urina provocata, & dolores inteſtinorum aſſopiti ſunt.*
*Virgo hæc doſim vermis duplicans veſicæ majorem exonerationem adepta intenſiores flatus, & dolores paſſa eſt.*
*Ardor urinæ inferna excoriavit & dolorem ventris auxit.*
*Chirurg.* Lucas P. M. *virgini oleum copioſum præbens cum lacte vaccino excitavis vomitum quo vermis ejectus eſt.*
*Duarum virginum exemplo nemo poſtea vermis uſum admittere voluit.*
*Periculo plena vermis uſurpatio & minimè commendabilis.*
*Ex præcedentibus neque morbi neque vermis natura intelligi poteſt, quia mutila & perfunctoria dogmata autorum ſunt.*
*Affinem ſuum Autor excuſat; quod multo tempore acta ritè memoria recolere non potuit.*
*In vermis, ſive volatilis aut vagipennis hiſtoria difficile eſt falſa refutare ac vera ſtabilire.*
*Cur Autor dubia adduxit, duæ cauſæ; prima eſt occaſio abblandiens, altera quod aliquo modo ad propoſitum facere viderentur.*

## CAPUT III.

*Etſi omnis Regio incolis ſuis ſalutaria producere ſolet, non tamen ideo apud Exteros nota contemnenda ſunt.*
Plinij *error, qui exotica aſpernari videtur.*
*Domeſtica ſubinde noxia eſſe Hemerobius, aut potius majalis vermis dictus teſtatur, qui frequens in patria noſtra.*
*Quævis medicamenta bona ſunt, modo experientia atque autoritate approbentur.*
*Medicus a fœdis & venenatis abſtinere debet.*
*Duorum generum venena.*
*Autè tractanda ſunt, quæ ſolâ doſi nocent; alia reiicienda penitus.*
*Venenorum differentiæ in medicorum ſcriptis atq; Botanicorum, officinis traduntur.*
Autor *perfunctoriè venena tractat.*
*Idem Hemerobios tabella exprimit, ut ſpeciei cognitione ab uſu eorum caveatur.*
Aldroandus *in opere ſuo de Inſectis nullum noſtro par adducit.*
*Autor ad Lectorem ſelectionis curam mandat.*

I. Wierus *Clivenſis Ducis Medicus ſcarabæum quendam non Hemerobium depingit in tractatu de Vareno morbo.*
*Verba quædam* Wieri *è Germanico in Latinum ab Autore verſa.*
*In Thietmarſia Vermem quendam* Meywoꝛm *atque* Ever / *alii* Radden *nominant.*
*Humor venenatus ex ſuſpenſo Verme ſtillat.*
*Doſis hujus & utendi modus.*
*Ab aſſumpto Verme æger ſpatiari & exercitio ſe defatigare debet, donec ſudet.*
*Non provocato ſudore in furnum calidum æger immittendus.*
*Symptomata quibus æger poſt hauſtum Vermem torquetur.*
*Perſeverantibus ſymptomatibus iterum atque iterum Vermis propinatur ſæpe ad nonum uſque diem.*
*Thietmarſienſes* Raddentranck *potionem ex Verme appellant.*
*Deſcriptio Vermis varia eſt, pro variis inſecti partibus.*
*Iuniores Vermes tinctiores cæruleo ſunt colore.*
*Magnitudo Vermium, & locus ubi reperiantur. Forma, ſuperna & Inferna.*
*Solanum lethale & ſomniferum quibus* Walchenbaum *vocatur & quanti fiat. Locus inventionis.*
*Ejus præparandi & propinandi modus, adverſus* Baren.
*Æger hauſtâ herbâ in ſomnum præcipitatur, ſed 24 horis tantum, poſt quas ad vigilias redit.*
*Symptomata ſupervenientia poſt hauſtum.*
*Solanum ſomniferum in tertio gradu frigidum, & opio dicitur tutius.*
*In Brunſwicenſi regione ſimilem potionem uſurpant ad ſomnum conciliandum.*
*Hiſtoria ægri, cui mane Vermis, veſperi ob dolores Philonium Romanum oblatum.*
*Figura Herbæ* Walchenbaum *dictæ, ad cautionem ponitur, ſolanum lethale, Belgis,*
Dodelijcke nachtſchape & dolle-beſie *vocatur.*
*Decoctum quatuor dragmarum ſolani hujus mortem affert.*
Dioſcoridis *corymbiferi ſolani in hydrope exhibitio Autori ſuſpecta eſt, erroris cauſam aliquando explicaturo.*
*Monita Autoris ut abſtineatur à Solanis.*
*Hiſtoria duorum fratrum à parente Autoris prodita, quos fructu ſolani interiiſſe conſtat.*
*Fructus aſpectu & guſtu gratus ab Italis* bella donna *dicitur.*
*Mulſa inefficacia in hauſto ſolano.*
Autoris Parens *fructus ſolani decerpi juſſit, ne quis deciperetur.*
*In externis tutus ejus uſus ſi dextrè adhibeatur, in internis peſtifer.*
*Solanum Aconito vicinum ictibus ſcorpionum venenoſis adverſatur.*
*Autor brevitatis voto plura addere negat.*
*Male à quibuſdam aſſeritur venenum veneni antidotum eſſe, quod in ſe mutuo agant, ſervato corpore humano.*
*Ex duobus purgantibus fieri non purgans quorundam ſententia eſt.*

Neque

Digitized by Google

*eque ratio, neque experientia conſentit Veneni venenum antidoton eſſe.*
*iſtoria Monachi Belgæ, qui hauſtum vini Albanenſis, in quo particula radicis ſolani infuſa erat inſcius ſumſit.*
*Ionachus a vino dicto ad manducandum ineptus fuit.*
*uæ ſymptomata potum hunc ſequuta ſunt.*
*Ionachus irâ incitatus ab Amicis remedium in acri aceto invenit, gargariſmate os lavare juſſus.*

## CAPUT IV.

*iduæ paupérculæ filia morbum varenum & cruciatus inde ementita per aliquot annos.*
*ıllacia filiæ Vermes foris conquiſitos de corpore ſuo prodire ajebat, eaque detecta, medicis & Bleemaſinariis abdicata.*
*rgo tranſiſulana Haſſeltæ urbis ſimili impoſturà opem omnem & commiſerationem amiſit.*
*equens* Hemerobius *apud* Tranſiſulanos, *ejus quoque uſus olim in vareno morbo.*
*eteres & Neoterici minus accuratè varenum morbum expreſſerunt, aut aliquem illi ſimilem.*
*utores in Vermis hiſtoria diſpares ſunt.*
*utor non ſolum imaginem Vermis, ſed ejus quoque naturam aſſequi laboravit.*
*rgo ab Autore derelicta ob fraudis ſuſpicionem ad curam luis hæreditariæ relegatur.*
*ır plura exempla fraudulentorum autor non prodat.*
*uævis terra mendaciorum propolas alit.*
*ebeculæ venia danda, ubi mentitur, non eruditis.*
*ıextricabilis labor eſt impudentiæ crucem figere.*
*us una veritatis aſſertio prodeſt, quam decem mendaciorum narrationes.*
ierus *taxatur, quod in tractatu de vareno morbo ſemel tantum inſecto ſe uſum fateatur, ſine ullo commodo.*
ierus *de inſecto experientiam variam non habuit.*

## CAPUT V.

*ıarmacopæus induſtrius* Ioannes Pottius *violas tres mortuas nomine Majalis Vermis miſit Autori.*
*veniuntur in Ericetis circa majum & Iunium.*
*ıſtici eas ad varenum morbum uſurpant, qui illis arthritis vaga eſt.*
*odus utendi & cautela, præterea ſymptomata eas ſequentia. Doſis.*
*uidam reconvaleſcunt à potu eo, doloribus excuſſi.*

Autor

Autor *ex forma & effectu cantharidum ſpeciem eſſe opinatur.*
In D. Scutrii *Epiſtola de majali Verme, quod manu attingere eum non licet, ne vis medicamentoſa amittatur videre eſt.*
Aldroandus *in libro de Inſectis ait in Belgio & ulterius verſus ſeptentrionem Cantharidum genera quæ in frumentaceis naſcuntur non reperiri.*
*Idem quoque ea deeſſe quorum ibi in Medicina uſus eſt affirmat.*
*Cantharides rotundæ & violæ ab Autore dictæ apud Trajectenſes in uſu ſunt, quarum varia ſpecies eſt.*
*Trajectenſis Prov. cives aliquot ante an.* 60 *circiter vareno morbo laboraſſe dicuntur.*
*Cauſa morbi quæ.*
I. Heurnius P. M. *Profeſſ. Med. Lugd. Bat. in Epiſtola ad* H. à Bra *nunquam morbi vareni mentionem a quoquam accepit.*
*Si cui cognitio ejus plena eſt, remedium quoque notum adhibeat, ſecus minimè.*
*Ternos Vermes Autor triplici figura divulgat, quæ ut varia eſt, ita morbus quoque dubius, & Autorum ſententiæ diſcrepantes.*
D. Schuttius *Vermen hunc ſeu violam cantharidis congenerem eſſe affirmat, quare uſum ejus interdicit.*
*Idem Vagæ Arthritidis mentionem facit, non Vareni morbi.*
*Ludimagiſter Haſſeltenſis inſectum hoc in Tranſiſulania quoque Ruſticis familiare eſſe ait adverſus arthritidem quandam.*
*Inſectum manu contrectari non debet ſed lento per filum tranſitu in fictile immitti, alioqui Balſami ex alvo fluentis portione deſtitueretur.*
*In Tranſiſulania quoque in Ericetis reperitur circa vias publicas, & à pueris legitur ut divendant in vicinis oppidulis.*
*Temperamentum horum atque ſimilium cauſticum eſt Autori.*
Leonicerus *in primo gradu calidum & ſiccum ait, poſt calidiſſimum nuncupatum, incerto judicio.*
Autor *in ſummo gradu calidum & ſiccum inſectum affirmat.*
Kilianus à dirum *legendis violis in Velavia occupatur, ut ut recentes, & citra vim extinctas & fictili clauſas fruſtra Amſterodamenſibus vendere conatus eſt.*
*Idem ſoporem inde obortum concuſſionibus & alloquiis averti ſuaſit, alioqui noxius eſſet.*
*Carmen Autoris quo hiſtoriolas claudit.*

## CAPUT VI.

Ariſtoteles *binis in locis ephemeri mentionem facit.*
Aldroandus *unius Diei animalculum ignorat.*
*Idem cum* Ariſtotele *quatuor pedum & totidem alarum eſſe ait, quod &* Plinius.
*Hemerobius alias Ephemerus, monemerus, diarius vocatur.*
Ælianus *Ariſtotelem citans numerum alarum & pedum non addit.*
Plinii *ſententia de Hemerobio.*
Iacobus Dalechampius *Plinii verbis ſcholion addit.*
*Idem Lugd. Piſcatores Hemerobium* de la manne *vocare affirmat.*

*Hemerob.*

# INDEX.

Hemerob. Ariſtotelis *quadripennis inter Culices bipennes non numerandus.*
*Inſecta culiciformia Aldroando etiam quatuor alis prædita ſunt.*
Bocatii *de Ephemero judicium.*
Cardani *deſcriptio folio* 655. *quibus verbis defungatur ejuſque admiratio circa Hemerobium.*
Iulii Scaligeri *animadverſiones in* Cardanum.
*Ejuſdem de Hemerobio Hiſtoria in qua varia appellatio.*
*Exarchatus, magiſtratus fuit à Iuſtino minore Imperatore inſtitutus, ut in Italia haberet vicarium.*
*Iunonis epitheton* βοῶπις *quare illi inditum.*
*Boops parvus piſcis magnos oculos habens.*
Κόρης *oculus, latinè puellæ, aut nymphæ.*
*Dortmanni Hiſtoriæ præmittuntur quædam.*
*Res ſuavis & utilis, res nundum divulgatas in lucem prodere.*
*Veteres rerum inveſtigatione admirabiles ſubinde hallucinati ſunt.*
*Ætas noſtra ignorantiæ caligine aliquando obſita eſt.*
*Hemerobius* Cantarello *ab* H. à Bra *vocari non debet quod ſonum non elidat.*
*Vocabulum* varenn H. à Bra *ſingulare lumbricorum genus denotare ait in patria lingua.*
*Vareni morbi deſcriptio accurata & cura à* Foreſto & Heurnio *approbata, rejecto Vermis uſu.*
Aldroandus Scaligerum *notat quod de numero pedum veritatem tacere quam* Ariſtoteli *repugnare maluerit.*
*Scriptores in brevis vitæ creatura leviter tranſigerunt, contra* Autor.
Ariſtotelis *de Hemerobio verba.*
*In Belgio ad Rheni oſtia mira Hemerobiorum fœcunditas.*
Dortmannus *prope Trajectum in loco* De Waert *dicto inſecta hæc annotavit.*
*Idem Zutphaniæ in Iſulæ margine ea obſervavit anno 1619.*
*Imagines tres Hemerobiorum, prima maris, ſecunda fæmellæ, tertia ludentis ſuper undas.*
*Mas cornutus, fæmella ſine cornu, ſed pedibus corneæ formæ prædita.*
*Magnitudo & color* Ephemeri. *cauda huic trifurcata.*
*Modus volandi & coeundi in Hemerobio.*
*Hemerobius tribus caudæ proceſſibus reliquum corpus extra aquas levat.*
*Origo Vermis cui candida pellicula eſt, qua rupta volat, circa* S. Odulphi *feſtum.*
*Volatus triduum durat, ſed ut mortuis vivi ſuccedant, qui mane prodeuntes veſperi moriantur.*
*Quare à piſcibus facile capiantur, piſcium nempe cibus fit dum caudæ proceſſibus natant.*

## Caput VII.

*Poſt clarorum virorum teſtimonia* Autor *Plebeculæ quoque fidem accerſit.*
*Idem experimentis alienis niti cogitur in re incognitâ.*
Petri Crachtii *Epiſtola ad* Nauwingium *in Latinum verſa.*
*Vermes majales latent ad æſtatem uſque, inde volant.*
*Piſcatores eos toto anno in cavernulis condi ait, tanquam apes in favis ſuis.*
*Generandi modus qui bombycum.*
*Antequam adulti evolant progenerando occupantur.*
*Minuti prius ut Aſcarides creſcunt toto anno donec alas nanciſcantur, quas ruptis membranis uſurpare incipiunt.*
*Volant circa feſtum S. Ioannis ſerò aut maturè pro aëris conditione.*
*Volantes decem modo aut duodecim horis vivunt. Vita in limo ſervatis longior.*
*Piſces fluviatiles iis veſcuntur, præter lupum aquatilem & Percam.*
Petrus Crachtius *ollam vermiculis plenam* Nauwingio *miſit.*
*In furfure diu vitales ſervantur.*
*Teſtimonium Centurionis Vermes eos ad generationem Apum accedere, pulli majuſculi jam ſunt, cum adulti evolant.*
*Reſponſa* Crachtii *ad quæſtiones Autoris.*
*Nomen Vermis cur rectius* Oeveraes *in Belgica lingua.*
*Naſcitur ex Vermiculis minutis, tenellum illi corpuſculum præter caput, quod durum, cui hamus infligitur.*
*Quo motu agitetur. Coloris deſcriptio ibidem.*
*Vermes in compactili argilla reperiuntur velut apes cavernulis ſuis muniti.*
*Ante volatum generationi attendunt.*
*Quidam ex ipſa argilla progenerari ajunt.*
*Quare circa ſuperficiem terræ generent.*
*Aqua decreſcente penitius ſe cavernulis condunt, creſcente altius circa marginem terræ.*
*Minuti prius altè, magni profundius latent.*
*Incerta ratio utrum maris & fœminæ modo copulentur.*
*Vermes hi toto anno reperiuntur tam minuti quam magni.*
*Poſt magnorum volatum exigui reperiuntur.*
*Piſcatores ligone eos eruunt intra Martium & Aprilem, quodque ante hoc tempus piſces inde non delibant.*
*Expedito volatu ſagina quoque degeneravit.*
*Quidam in Sept. & Octobri ſaginæ priſtinam bonitatem reddi ajunt, ut piſcandi facultas reſtituatur.*
Crachtius *neque ex Medico neque Pharmacopæo reſcire potuit an Medicinæ loco uſurpetur.*
*Inſectum volans auricularis digiti longitudinem æquat.*
*Pedum numerus* Crachtio *& aliis incognitus.*
*Volantes* 10 *aut* 12 *horis vivunt, qui volando perdurant, omnes penè aqua ſubmerguntur.*

*Volatus*

# INDEX.

*Volatus quatuor aut quinque horarum eſt.*
*Die declivi volare geſtiunt, quod ad triduum perſeverat, ſed ut vivi mortuis ſuccedant.*
*Color volantibus, atque alæ quales.*
*In volatu cibo non fruuntur.*
*Circa aquæ ſuperficiem & littus volant, in continentem delati ad ripas redeunt, poſt à piſcibus & avibus devorantur.*
*Formæ mutatio in ipſo Verme annotanda.*
Crachtius *Autori bonum Hemerobiorum numerum pollicetur ubi volare deſinent.*
*Qui, atque* Autor *occaſione favente plura de Hemerobio promere ſpondent.*
Autor *Commentarium, non Artem ſcripſit, & cauſæ ibidem.*
*Idem anxius non fuit in condendo opere, intra prolixitatem & brevitatem medius.*
*Aliena verba detruncare Autor noluit.*

## Caput VIII.

*utor ſparsè & fuſè dicta compendiosè tractat, de Verme nimirum majali, Aurelia, & Hemerobio.*
*'ermis aut Erucæ formam exuentes a motu ceſſant.*
*Membrana tecti exuunt eam ad volatum, quem quadripennes & ſex pedum animalcula ordiuntur.*
*oſt triplicem formæ generationem perfecti ſunt.*
*elitescunt ad aliquod tempus nempe menſis circiter ſpatio, velut bombyx, quæ nendis filis abſumpta è nova quaſi putredine papilio evadit.*
*ldroandus ait Vermem creſcere, & diſcerni in formam deſtinati Animalis.*
*ucæ repentes cibum capiunt, non membranâ clauſæ, quæ Aureliæ, aut Chryſalides & necydali dicuntur.*
*itio nominum ibidem.*
*Priſcis & interpretibus eorum neglecti ſunt.*
*ucæ fluviatiles hæ nare & cuniculos agere ſolitos nemo recenſet.*
*x pedes habet Vermis ſeu Eruca noſtra quibus clauſa latibulo ſuo repit, ſcandit ſurſum & deorſum.*
*otu valens eſt, ut terram duro capite & cornuto terebrare queat.*
*rnua prætenſa oculos conſervant.*
*les primi capiti annexi parvi ſunt, reliqui quatuor majores quibus vim facere & viam ſibi aperire ſolet.*
*tus duodenis ſectiunculis diviſa eſt, quarum unaquæque utrobique pinnis exiguis rædita.*
*r luridus, cauda ad natatum procliviorem addita.*
*vermiculo inſtar aſcaridis oriuntur.*
*imo deliteſcunt ad menſem Octobrem uſque quo tempore juſta illis magnitudo ad amum inde formandum.*
*niculus crucæ natatricis fœtura eſt, etſi alii ex lentiore argilla velut limaces naſci elint.*

(****) 2 *Apud*

*Apud Aldroandum Xylophtori aquatici aut Ligniperdæ Icon, Vermi Majali non abſimilis corpore & Natali.*
*Corpus lento viſcido & purulento ſucco refertum eſt intus, foris ochræ colore inſignitur, donec volando ſe experitur.*
*Vermiculi corpus ipſo involucro majus, unde erumpit, ſine roſione aut diſploſione.*
*Fructus Indicus amygdalino corio apud* Cluſium.
*Petitione D.* Hoofdii *in gratiam Cl.* Bauhini *Autor Exotica ſelegit.*
*Hiſtoria coriacei cujuſdam fructus ſcarabæum atrum in ſe continentis, quam* Bauhinus *ab Autore miſſam divulgavit.*
*Hemerobius membranâ excuſſa ſæpe etiamnum podici adhærente volare parat, cujus onere tardatus, eò maturius piſcium eſca redditur.*
*Hemerobius levi volatu margines tantum fluminum in quibus natus, præterlabitur.*
Cardano *Hemerobium ambulare placet, non item aliis qui in ripa quietem poſcere conſtituunt pedum exilitate depreſſum.*
*Hemerobius more bombiliorum cibum non poſcit.*
*Hujus plena deſcriptio & verior.*
*Hemerobius* Crachtii, *corpore minus ventrioſo eſt ſectiunculis æqualibus orbiculatim ductis, diſtinctus.*
*Hemorrh.* à Crachtio *miſſi deſcriptio.*
*Hujus &* Houfnaglii *diſtat figura externa, fortè non viribus.*
Houfnagel *in ripa fluminis Mechliniam præterlabentis Hemerobios obſervavit.*
*Ex verbis Autoris & Pictoris Eicone velut in vivo aut mortuo corpore Hemerobius diſci poteſt.*
*Autor hiſtoriola magis ſcolaſtica quam Medica Vermem Majalem tractavit.*
*Medicus cautus eſſe debet circa cantharidem purpureo violaceam* Trajectenſium & Wieri *cornutum ſcarabæum.*
*Apum Hiſtoriam Parens Autoris ante annos 36 dialogiſmo divulgavit, Autori deinde negotium dedit in continuam orationem latiné transferendi.*

Finis Hemerobii in axiomata digeſti.

Digitized by Google

# Nomina eorum quorum operâ in utroque opuſculo adjuti fuimus.

CL. D. *Laurentius Realius* Eques, & Senator.
*Cl. D. Albertus Conradus* I.V.D. Senator, Exſcabinus.
*Cl. D. Iacobus Speccius*, Ind. or. Generalis quondam.
*Godefridus à Clermont* Civis Harlemenſis Poſſeſſor geminati Cocci.
*Cl. D. Nicolaus Tulpius* M. D. Scabinus & Senator Amſterodamenſis. Chirurg. Prælector indefeſſus.
*D. Ioſephus Buoeno* M.D. Luſitanus, & Practicus apud nos celebris.
*D. Nicolaus Fontanus* Amſterod. D. M.
*D. Iacobus Barra* D. M.
*D. Iohannes à Grol* D.M. } Practici apud nos.
*D. Theodorus Scuttius* D.M. ordinarius Amesfurti.
*D. Hier. Vogellius* Eccleſ. Enchuſ. Vigilantiſſimus Paſtor.
*D. Bontius* P.M. Indicarum plantarum quarundã &c. autor
*Iohannes Dortmannus* quondam ab Ordinibus Groninganæ Provintiæ Hagam ad Comitia Legatus.
*D. Petrus Mulerius* M.D. & in Acad. Groninganâ Profeſſor.
*D. Iacobus Hooft* Patritius Amſterodamenſis.
*Iacobus Houfnagel* Pictor Cæſarius quondam.
*Petrus Crachtius* Acupictor, civis Schoonhovienſis.
*Ioannes van Maerle* jocularius Amſterodamenſis ſcyphi in India argento excepti ex Cocco Medico, poſſeſſor.
*Samuel de Bendana* Luſitanus Mercator, duos Antwerpiæ quondam argento munitos uſuique aptatos habet.
*Iohannes Tradeſcantius* Regiæ Majeſtatis Angliæ Botanicus dimidiatam nucem habet.
*Georgius Nawings* Mercator Amſterodamenſis.
*Hermannus Martens* Argentifaber ingenioſiſſimus Amſt.
*Iohannes Pottius* Pharmacopœus induſtrius Amesfurtius.

Digitized by Google

# CATAGRAPHVS,

# COCCI MALDIVENSIS,

## Tavarcaré Inſulanis nuncupati.

MUNERE

*REGIS BANTAMENSIS*

ob liberatam Civitatem & Regionem Celebri ac Magnanimo Claſſis Societatis Indiarum Orientalium (quæ eſt in Belgio.)

## D. WOLFARDO HARMANS

THALASSIARCHO.

*Dati & conſecrati.*

ANNO cIↃ. IↃ. cI.

Digitized by Google

# D. GOTHOFREDO CLERMONTIO cive & mercatori Harlemenſi Viro ſpectato.

## S. P.

HUmanitatis tuæ favoris illicio pertractus ad opuſcula hæc pertexenda calamum accinxi. Quippe Thecæ tuæ ſecretis frui me paſſus es; in qua raræ nobilitatis ſupellex ſe exerit, Cocci præcipuè Maldiv. majeſtas conſpicanda venit. Neque mirum tam inſtructa tibi ſcrinia florere, poſtquam Sororum Archithalaſſi P. M. natu maxima pactis nuptialibus tibi ſociata eſt; unde tam rara Nucis Medicæ hæreditas ad ſortes tuas venit, velut ex ore illius indolem Cocci & Encomia ad noſtrum auditorium derivaſſe te fateor. Pia mehercules animi inclinatio ſeculo noſtro prodeſſe velle, novo hoc & medicinæ laudibus, celebri advena. Quare antiquo ritu nomen tuum in Æſculapij Phano conſecratum eo, ut meriti tui rationes cum ſanitatis publicæ fructu ſupputari queant. Ego certè plus reliquis me tibi devinctum fateor, quod mea opera ad publicandas Cocci Maldivenſis Laudes uti voluiſti. Faveat autem perennitatis Autor Deus, ne opuſculis noſtri gratia intereat, in quibus tam larga commodorum ſeges ad poſthumos delegatur. Quippe præter Coccum Maldivenſem, etiam Aurelia ſeu Chryſalis ad cenſuram venit, quo velut parente hemerobius natalem ſuum auſpicatur. Quod inſectum ut verbis explanare non damus, ita figura quoque repræſentare libuit; quam tibi Goltzij diſcipulus depictam largitus videtur, ut tua deinde manu tradux ad me veniret, ne non in omnibus me tibi debere faterer. Ego vero in reciprocum quid adducere præter laudes nequeo, donec reipſa demum gratitudo noſtra defungi queat. Vive interim diu, & vale ſemper defæcati oris & virtutibus inſtructiſſime vir, ut beneficij tui laudes crebro intelligas, atque urnam tibi intrare cum dabitur, meriti tui hoſtimenum in diario divino naciſcaris. Vale Amſtelodami. 23 Septembris. 1634.

*T. Augerius Clutius.*

Ampliſſimis Clariſſimis

*Nec non*

Conſultiſſimis Viris

# D. LAVRENTIO REALIO.

## Equiti, Senatori & Scabino,

*Quondamque* INDIARUM ORIENTALIUM *nomine Societatis (quæ eſt in* BELGIO*) Generali præfecto.*

Item

# D.ALBERT.CONRADO BVRCH

I. V. D. Senatori & Exſcabino.

INSUPER

# D. IACOBO SPECCIO,

Indiarum Orientalium ejuſdem Societatis nomine, Generali ac Gubernatori ſtrenuo, nupere in patriam reduci.

*Amicis Colendiſſimis*

D. D. C.

AVGERIVS CLVTIVS. M. D.

Apud Amſtelodamenſes.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

Opuſculum.

# PRÆFATIO NVNCVPATORIA.

QVanta marinæ negotiationis efficacia ſit, etiam illi compertum habent, qui intra cineres & fauillas velut Grylli obſoleſcunt. Heroici verò impetus Viri, quibus omnis in motu vigor eſt: plus reliquis attendunt, *tam parvo lini ſemine naſci, quod orbem terrarum ultrò citroq; portet*, ut mutua nobis Plinij verba reddamus, lib. 19. in Prologo. Quod Phari inſtar cum illuceſcit ſubventanei operis eſſe reor, longâ teſtimoniorum ſerie fidem dictis emendicare. Apud vos præſertim *Viri Clariſſimi* otioſa earum rerum agitatio eſt, quæ vobis innotuerunt.

*Tanquam alpha & beta puellis.*

Velifero enim curſu ingentem Oceani capacitatem ːmenſi præfecturam in India Orientali geſſiſtis, nihilo ſeːius maris dominio ſublimes, directâ nauticæ plebis inſciːiâ. Et ſi vero tibi Clar. CONRADE marinâ expeditione ndiæ recondita peragrata non ſunt, domi tamen in deſiiam compoſitus langueſcere negaſti, poſtquam publico ːffragio in conſeſſu eorum locum obtinuiſti, qui curis Inːæ Occidentalis ſalutarem operam impendere conſueːrunt. Ne emeritâ in Moſcoviam legatione Horologium ːeratur, aut quæ tu oculorum decreto apud alterius pla-

gæ inquilinos dimenſus es. Velut tibi quoque Clariſſ. REALI ob expeditam ad Daniæ Regem legationem aliquid accumulare deſino, poſtquam omnium ore laus tua verſatur, quod fortunam acerba meditantem ad ſaniora reduxiſti. Macti eſtote *Viri Celeberrimi* hâc cœli clementiâ & natalis ſideris affulſu, quæ vos rerum experimentis fertiles eruditionis etiam proventu largo ditarunt. Iuris enim arcana non pedis apice ſed paſſu citato penetraſtis, in eloquentiæ florulentis non degeneres, quam verborum monilibus teſtatam reddere ſoletis. Vt res miraculo proxuma cenſeri non debeat, quod honorum periodo Faſtos Patriæ ornatis, in quavis coronâ dignum virtutibus ſubſellium nacti. Quæ mecum ad incudem vocare ſolitus effuſè in laudes veſtras ſubinde progermino, tacito tamen devotionis ſtimulo agitatus, quod nunc extra dentium ſepta liquidiore buccinâ incentare occæpto. Pauculas enim has membranas deſcriptione Cocci de Maldivâ prægnantes ad aram veſtram collocatas precor, ut natalis ſui auſpicia veſtri nominis tutelâ nanciſcantur. Quibus enim ſecurius hæc ſacra accredantur? qui rerum ſub Indico ſole geſtarum indagatores acerrimi eſſe ſoletis, & regionis tam immenſum evagantis, tam fæcundè luxuriare ſolitæ ſecreta pervolitaſtis; quare *Nucis noſtræ medicæ* cenſuram agere vos poſſe confido, ut Naturæ penetralia & Genij peculia in obſcuro amplius non deliteſcant. Quæ ad aſciam recenſere in hoc præloquij ambitu cum otio luctantis menda foret, poſtquam in ipſa libelli ſpatia provehi vobis datur, in quo Cocci indoles enoda-

ta

Digitized by Google

ta eſt; ſtudio quantum per mei muneris neceſſaria licuit effuſiſſimo, ſed ſtylo intra cancellos mediocritatis contracto, ne verborum oſtentis textui caligo naſcatur, & in Suadæ fimbrijs hærens lector teſſellas rerum incurioſè tractet. Si quid interim *Viri Clariſſimi* humanæ imbecillitatis vitio me peccaſſe invenietis, ejus veniam mihi in promtu eſſe precor, quod ſalutem publicam conſervatum eo, pauculis nucis noſtræ amuletis, & celeberrimis advenæ offerimentis. Alia ab alijs ſcripta umbram mihi non faciunt, poſtquam in publicâ viâ inceſſus nulli vitio vertitur, licet greſſu loripedante orbitam radat, modó rerum ſuarum ſatagens à publicâ utilitate non deficiat, quam puerorum etiam crepitaculis foveri abſonũ nihil habet. Sin autẽ ſupercilio benigno pauculũ hoc libamẽ excipi à vobis perſentiam, animũ nobis ad ampliora explicabitis, in quibus ſtateram ſagaciorem aliquando vobis verſare licebit. D. O. M. precor ut pronam ad utilia voluntatem ſanitatis temperie in nobis conſervet, & quę ſcrinijs largis apud me fermentantur tandem publico bono ebullire queant. Vos autem *Viri ampliſſimi & conſultiſſimi* ad clavum Reipublicæ ſedentes perpetua Alcedonia habere precor ne turbis rerum agitati in vadum impingatis, donec terrenis exempti cæleſtiũ poſſeſſores reddamini. Valete *Viri præſtantiſſimi* Amici Colendiſſimi. Quibus ob res benè geſtas & ſanitatem illibatam ſoteria cano. Tibi vero Clariſſime SPECCI ob nuperum ex Indiâ reditum pio voto gratulatum eo. Amſtelodami. *Ipſis Kal. Mart.* 1634.

# ·LECTORI. S· P.

THeo. Clutius *parens meus publicè auctoratus a$_o$. ſalutis humanæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo Lugduni Batavorum Horti medici præfecturam gerens, omnem lapidem movit ut Rei herbariæ avidis appetitum ſatiaret quod privato etiam documento in me illuſtravit ſtudiosè me imbuens ijs, quæ ſanitatem alienam cuſtodire, quæque uſui publico convenire ſolent. Sed non ſemper in paternis ulnis deſideratæ rei copiam proſequi me voluit, poſtquam expeditione ad exteros factâ, jam partis ad ditamentum fieri allaboravit. Neque unius regionis perluſtratione defatigatus fui, ſicut viridaria omnis generis peragravi, adminicula rei medicæ quaquà verſus inquirens. Me verò ab acceſſu non deflexit ea quam in nobis ſcientiæ cupiditatem vigere videbant etiam Principes & melioris notæ Viri, in Germaniâ præſertim diffuſâ, & lautitijs rerum ſuperbâ Italiâ in quâ oculos meos hortorum delitijs pavi, atque animum ſterileſcere paſſus non ſum, quin rei Botanicæ faſtigium (ſiquod unquam) adipiſcerer, Patriæ aliquando educationis meæ fœnus reddere gnavus. In Galliâ verò Monſpelienſes ſalutari voto adortus, non pauca ex locupleti ſimplicium penu exlatebravi, quibus Hortus publicus uberior reddi poſſit. Nec defuit occaſionis conſenſus, poſtquam CL. V. Richerius de Belleval Herbariæ rei & Anatomices profeſſor Monſpelij diuturni morbi aſſultu excarnificatus, ne Academiæ rebus muneris vacatione diutius obeſſet, me ſibi Vicarium adoptavit. Strenuam vero docendi operam*

*ad*

*ad publicum uſum impendi, duobus penè annis rei botanicæ conſultus & ſtudioſorum ad polidædalam herbarum copiam Manuduca. Sed neque hoc tantum confinio ſtudium meum detinui, qui Horti-Medici Regij Monſpelienſis gratiâ in Africa remota penetravi, ut quicquid alibi novum aut minus viſum naturæ beneficio pro Soli & Cæli diverſitate natum eſſet, ad me coloniam duceret, & tranſferri ſe in Galliam & Belgium pateretur. Sed bonis conatibus ſors inimica remeliginem injecit, qui ter captivus inveſtigationis meæ pœnas luere coactus ſum; Regis tamen Mauritaniæ dyplomate ter libertati redditus, ſed omnibus ijs excuſſus quæ ſimplicium teſſellas floridiores reddere poſſint. Quare euagandi ad ulteriora appetitum tot Fortunæ minis deterritus algere paſſus ſum, in patriam prorâ verſâ ut quiete domeſticâ quicquid ſupereſſet cognitionis Medicæ foverem, & ambagibus ſemitarijs ſolidiorem ſcientiam concinnarem. Hîc autem in varia diſtractus herbarum ſecreta explorare reſtiti, ægrorum quærimonijs potiorem ætatis portionem impendens. Sed ut vices rerũ ſunt, denuò ad antiquam Crambẽ reverſus, ex Indiæ orientalis & occidentalis armario melioris ſelectus ſimplicia conſarcinavi, quæ promiſcuam utilitatem aliquando irrigare poſſent. Neque enim ultra vel* Pauio *vel* Paludano *vel alterius generis Botanico Amicove divulganda putabam, quæ noſtro ſudore & ære parta ſervarem.*

*Infælix verò ad me ſimplicium vectura non venit, qui ſorulos meos rariori proventu conteſſellavi; quem oculis meis ſubinde uſurpans, etiam calamo illuſtriorem reddere elaboravi.*



ravi.

*ravi. In præcurſum verò* Cocci mei Indici *miranda veniunt; cujus ea efficacia eſt ut ſitum domeſticum amplius pati non debeat. Alexipharmaca enim omnia facultatibus innatis adæquat, ne audaciori eloquio virtutes illius extendantur. Experimentis enim apud ægros & ipſum me factis doctior ſum, rarum fructus exotici genium eſſe, non ſine piaculo domeſticis umbris claudendum. Publici autem Iuris privilegia ſibi vendicat ut unicuiquè ſuum promptuarium eſſet, tibi præſertim, benevole Lector, indagandi copia cederetur quantum in peregrini Solis Alumno boni publici inveniatur, neque te faſtidioſé offerimento meo applicabis, quod caro redimere coactus ſum, & bonam ex vigilijs meis partem ſibi occupavit. Appretianda imprimis hoc nomine oblatio, quod Regij doni majeſtate apud Indos cenſeatur, velut Galliarum Regi nomine Societatis Indiæ Occidentalis Coccus noſter argento & ſalutaribus gemmis adornatus à D.* Michaele Pavio *Equiti D. Marci ac D*[o]*. ab achthienhoven ad Legati munus auctorato dono datus, ipſi gerulo centum aureorum congiarium depromſit. Tanta Regis in noviter illatam Regno ſuo* Nucem *animi propenſio fuit, tantumque experimentis illius diffundebatur! Sed quid attinet in hoc loquendi præliminare ea congerere quæ in libello noſtro amplis ſpatijs evagantur? huc aniditatem tuam tranſferre tibi copia eſt, & ſatietatem diſcendi pleno miſſu naſci non diffibeberis. Si quid tamen ad bellaria requiri videbitur, id alieno inditio expergefactus ſarcire paratus ſum, ne quid publico guſtui ad plenum deſit.*

H I-

# HISTORIÆ COCCI de MALDIVA LVSITANIS.

## SEV

## NUCIS MEDICÆ MALDIVENSIUM,

### CAPUT PRIMUM.

INter immenſa beneficia queîs humano generi poſtremis hiſce ſeculis divinum NUMEN affulſit, non poſtremas obtinet tot Pharmacorum ad tuendam hominum valetudinem Inventio, cum poſt animæ ſalutem humani corporis ſanitas primum locum ſibi vendicet. Quod enim ad machinarum æncarum inventum attinet, quas ſupra antiquitatem noſtra ætas gloriatur, ea ſpotius ad hominum perniciem quam ad bonum publicum comparatas dixerim. Typographia verò, quanquam conſervandis literarum monumentis imprimis idonea, nihilominus ſcribentium Kakozeliam & literatorum ineptias plerunque fouet, nec eſt etiam quod Ærithræi maris ſpolia, aut exhauſtæ Atlanthidis pallida viſcera tantoperè jactemus, cum ex mente cordatiſſimi Poëtæ fuluum metallum ſit Chalybe nocentius. Naſo Methamorphoſiôs primo.

*Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum*
*Prodierat, prodit bellum, quod pugnat utroque*...

Verùm enimvero Argonautarum Europæorum gloria nunquam ſatis extolli poteſt, quorum ſolertia patefactus novus orbis

Digitized by Google

orbis tot ſeculis latitans, aperta maris clauſtra, & tot inſularum Chyliades in Indico pelago ſparſæ.

Horum enim operâ effectum eſt, ut propemodum

--- *Omnis ferat omnia tellus.*

Et pharmaca exotica eximii & rariſſimi uſus, noſtro orbi illata ſint. inter quæ, ſive raritatē ſpectemus, ſive pretium & æſtimationem, ſive uſum nunquam illaudatum, ſive incertitudinem originis NUX MEDICA MALDIVENSIS jure ſummo primatum obtinet. De quâ hoc libello acturus, operæ pretium me facturum exiſtimo, ſi de Inſulis apud quas reperitur, earum ſitu, latitudine & opibus pauca præfatus fuero.

## Caput Secundum.

INſulæ de quibus ſermo eſt, inter inſulam Madegaſcar ſeu Sancti Laurentii & Promontorium Indiæ Commori vulgò dictum, ſitæ ſunt à continente centum & quinquaginta leucis diſtantes. Latitudo ſe extendit ab octavo gradu cis Æquatorem ad quartum trans eundem; quod maris ſpatium complectitur ducentas circiter Leucas à Borealioribus nempe ad Auſtraliores, & poteſt ejus Regni longitudo dici petita à ſeptentrione ad Auſtrum. Earundem verò Latitudo, ſi maris ſuperficiem ſpectemus, ultra triginta, aut triginta quinque Leucas non extenditur. Cenſentur numero ab Indigenis duodecies mille, (fides appellat autorem) diviſæ in Provincias tredecim, brevibus vadis ſeu anguſtis fretis vel Euripis diſtinctas. Harum ſingulæ, abruptis ſcopulis, tanquam naturali muro cinguntur, & in complures alias iterum ſubdividuntur; quaſdam cultas & luxuriantes naturæ bonis, citra hominum laborem divites, alias culturæ expertes, & ſolis volucrum cubilibus relictas. Quæ magis accedunt ad Septentrionem fæcundiores ſunt, quæ ad Auſtrum vergunt ſteriliores, & noxiorum ſeu damnatorum exilio plerumque deſtinatę. Tanta eſt cæli & ſoli bonitas ut omnium rerum copia non ſolùm ad uſum humani gene-

ris

ris verùm etiam ad luxum & delitias exuberent; quamquam fruges & Animalia Europæ noſtræ illic rara aut ut nulla. Verũ benigna mater Terra vel Natura bona noſtra compenſans Indigenis & Advenis affatim ſuppeditat. In harum inſularum littoribus Nux hæc de qua agimus ſolummodò reperitur, non alibi terrarum conſpicua, allabente enim maris æſtu non ſecus ac Ambarum fuſcum (Ambra griſea Medicorum filijs dicta) in littus eijcitur, nec cuiquam tollere fas eſt niſi ſtatim delaturo ad Regem, vel miniſtros Regios, cùm

*Quicquid conſpicuum pulchrumque ex æquore toto eſt*
*Res Fiſci eſt, ubicunque natat.* Iuvenalis Sat. 4.

Quod eſt argumentum æſtimationis admirandæ nucis, cum conferatur Ambaro, imo præponatur; adeo ut ſi quis exiſtat repentè dives vulgò exiſtimetur *Tavarcaré* inveniſſe (id huic *Nuci* in iis Inſulis nomen) Nihil inter Gazam Regiam aliud majore curâ conſervatur, ſiquidem in cohoneſtandis amicis Regibus, Satrapis, vel Thalaſſiarchis ornandis, non alio pretioſiore dono utitur harum inſularum Rex.

## Caput III.

QUemadmodum locus inventionis certus, ita origo anceps & incerta. Vulgus indigenarum ex arboribus in mari latētibus vel olim inundatione demerſis, vel intra aquas in avito ſolo radices agentibus fructum hunc provenire autumant, non ſecus ac Ambra videtur eſſe Ramus arboris vel ſtipitis in bitumen induratus. Religioſiores ſecus exiſtimant; in Inſula ſiquidem *Palloys* dictâ, quærentibus abditâ, ignaris obviâ nucem hanc gigni arbitrantur, inde cadùcum fructum poſt maturitatem pelagi æſtu & reciprocatione huc illuc jactatum in oras Maldivenſium Inſularum tandem eiici, huic Palloy proximius ut pote adjacentium. Inſula hæc creditur Maldivenſibus eſſe omnium terrarum beatiſſima quam

Kakodęmònis vel maliGenii invidiâ &artibus humano aſpectui ſubtrahi perſuaſum habent; quanquam nonnunquam ignaris ſeſe offerat videndam:

Fidem facit quod ſæpius tentata Regis Maldivenſis auſpiciis illibata permanſerit, & rariſſimè imo nunquam Regiis miniſtris nauticis teſte *Franciſco Pyrard de Laval* comparuerit. In appulſu quippe gravibus procellis & tempeſtatibus confliƈtantur, & quotquot illuc appuliſſe contigit à ſpeƈtris & Kakodæmonibus ſpecie viſibili torqnentur & cruciantur, ut ut eſt ubicunque terrarum hæc nux naſcatur, hoc loci ſolùm reperitur, reliquis orbis partibus ignota, niſi hinc deferatur.

## CAPUT IV.

NUx hęc nuſquam conſpicitur niſi gemina, cujus utraque pars ovalem & oblongam figuram exhibet, Quæ etſi unico obtuitu præ ſe ferat gemellos duos melones lateraliter cohærentes, nihilominus naturali vinculo uſque adeo ſunt colligatæ ut nullo paƈto divelli poſſint. Nucleus ſeu medulla excreſcens in altum tegit interiora utriuſque putaminis, aſſurgens ad figuram rotundam ſeu fabaceam aut renalem, ex unâ nucum in alteram permeans, ita ut non injuriâ tota hæc nux gemina aſſimilari poſſit duabus ſcaphis, vel ſcaphæ duplici, eommuni onere gravatæ. Ad nuclei tutelam naturale & ingenitum munimentum Natura largita eſt tunicas quaſdam ſpecie licet interſe diſſimiles, non tamen àtunicis, iiſque velamentis diſcrepantes, quibus juglandes ante maturitatem extrinſecus teƈtas cernimus, aut ad majorem convenientiam tunicæ illi ſimiles quâ Caſtaneam marinam opertam aliquoties vidimus. Cyathus verò expolitus binis alveolis geminam quaſi formam exprimens proximè accedit ad Cymbia duo (quorum in ſacris olimuſus) lateraliter cohærentia, vel

ad

ad Sambucas (ſi ſcalas exceperis)queis in expugnatione Syracuſarum Marcellum olim uſum legimus. Ad ſcyphi autem hujuſcemodi pretium & æſtimationem augendam totus nucleus ſeu medulla nõ excernitur, verũ exigua pars relinquitur accreta & adglutinata baſi ipſius nucis, in duritiem ætate non abſimilem ipſi cocco verſa,interveniente tenui quadam cortice,ſeu integumento haud impare medianæ Ilicis, Quercus, aut Fagi exaridę. Conſervatur autem in uſum medicum internum, velut è catenulâ aureâ per artem appenditur ut liquori immergatur,in eam pręcipuè gratiam uti etiam ſuas in uſu virtutes coacervet accumuletque. Quod ſi negetur & caſu medulla à baſi abſceſſerit, arte uti infra dicemus, ſuppletur.

Dividitur autem hac ratione nux gemina, ſi per intervallum illud quod lateraliter alter alteri cohæret, & iterum harum quælibet diſſecetur ſerrâ ſecundum priorem aperturam ex utrâque ſigillatim fieri poſſint duo pocula. Quod ſi utraque ſimul & ſemel bifariam dividatur per latus alterutrius externum principio ſectionis ſumto, habeantur pocula gemina bina. Cujus poculi gemini,niſi extrema Cymbiorum auro aut alio metallo conjungerentur, exiguus aut nullus in bibendo eſſe tuſus ob periculum effuſionis, verùm pyxidis vices ſupplere poteſt. Hoc autem genus ſcyphorum virtutes & remedia contra morbos habet plurima,quæ ſuis ſingula locis docebimus.

Expolitæ autem nucis putamen naturali quadam cælaturâ, quam ars ægrè adſequatur, ſculpta & elaborata cernitur colore nigro ſaturato. Magnitudo huc adlatarum nucum ut & figura non à majorum melonum ſpecie & magnitudine recedit. Perpoliri poterunt puluere lapidis Tripelæ dicti: teritur tripela ſubtiliſſimè in mortario æreo,piſtilloque ferreo,affuſâ frigidâ; Et ne alterationem ſubeat cocci putamen, laneo panno ſæpiuſculè liquori huic intincto,ipſi teſtæ affricatur. Non autem oleo,quod inferret noxam & graveolentiam.

## Caput V.

QUandoquidem jam prona eſt occaſio propoſito noſtro annuens, & nucem geminam ante actis fermè abſolvimus, cujus quoque Catagraphus in rem præſentem adducitur beneficio ornatiſſimi & Honeſtiſſimi Viri Godefridi à Clermont civis Harlemenſis, & affinis ſtrenui Thalaſſiarchę Wolferdi Harmans infra memorandi, qui eam uſui domeſtico, nec non progeniei Wolferdianæ inter Ceimelia ſua, quarum non parvum habet numerum, reponit. Quare nefas duxerim ea ſilentio decoquere quæ meæ ſententiæ circa nucis valorem digerenda propoſuit.

D. Rudolphus II. Roman. Jmperator &c. qui dignitate, majeſtate, ingenio, variaque rerum omnium cognitione cæteros omnes Principes antecellebat, perceptâ nucis præſtantiâ eam quatuor millibus Florenorum in poſſeſſionem ſuam redigere conatus eſt. Sed quia Familiæ Wolferdianæ traduces alio transferri negarent, in loculamentis ſolitis ſtationem ſervavit. Quo autem modo Nucis copia Wolfardo facta ſit, tribus peragam verbis Hiſtoriam. Kalendis ipſis Ianuariis anno milleſimo ſexcenteſimo ſecundo D. Wolferdus Harmanides Archithalaſſus viſis fortuitò navigiis Luſitanorum civitatem Bantam obſidione cingentibus inter ipſum velificationis tenorem, priùs anchorâ naves infrænavit ſuas, dein laxato velis ſinu ad curſum eas prępáravit, prorâ in Luſitanorum claſſem verſâ, quos licet numerus frequens animaret, pauculis tamen manipulis Batavorum, quinque nimirum navibus, in fugam egit, everſa ad non exiguum numerum ſubſidiariarum claſſe: Ita Civitati & Regno Bantam libertate reſtitutâ magnifice à Rege exceptus eſt: qui pręter laudes fusè dictas decoravit eum fructu, cujus imago in appendicem venit. Dolore autem non parvo perculſus erat, quod ob anni ſterili-

ſterilitatem Piperis proventu victoriam jam partam huic *Wolferdo* plenè compenſare non poſſet. Decrevit interim ut acceſſu libero Batavis quęvis coëmendi ac collectandi copia foret, quod experientiâ deinceps fidâ teſtatum reddidit.

Verùm ut obſervatu dignum ita ſilentio non prętereundum eſt, à Rege ſummam faciem fructus lineamentorum ductu impudicè laſcivientis ferrâ ablatam eſſe, ne Clariſſ. *Wolferdo* offerenda honeſti viri oculis offenſam pręberet. Refert enim rugarum ambitu muliebre pudendum cum podice & interfeminio, à quibus verſus gibbam partem cęlaturę inſtar ſubalternant acclivè & declivè in laxitatem ſenſim accreſcentem, uti unda undam trudit, non ſine gratiâ oculis acceptiſſimâ, quę ipſa iterum terminatur in aperturam germini ſupernè annato dicatam, non abſimiliter concomitatam duobus ſpiraculis ſeu foraminibus uti in Indicâ nuce ſive vulgari Cocco tam majore quam minore, pluribuſque ejuſdem familię, & congeneribus videre eſt. (Kakodæmona Indicum dixeris propter formidabilem in planiore parte faciem) quare Clariſſ. D. *Caſparus Barlæus* Profeſſor Phyſices in Illuſtri Gymnaſio Amſtelodamenſium in oratione ſua de Re ſive Ente reali diſerte his verbis. Dioſcorides, ſi hoc viveret ſeculo, rem botanicam miris modis auctam ſtuperet; præcipuè tot verſicolorum Tuliparum & Nucis Maldivenſis horribili admiratione. Spiracula porrò illa in margine aperturę poſita uſum atq; emolumentū ſuum nacta ſunt. Obducuntur enim introrſum tenellis medullæ portiunculis ut ſpiritibus in germinatione tranſitus detur, ſicut Natura in fœtu elaborando, (quùm ſint Jovis omnia plena) polypragmos & ſollicita eſt, Si quis porrò oculis in rem præſentem ire & manu tam pretioſum monile tractare avet, liberum acceſſum inveniet, ſi Harlemum ſe transferens Honeſti viri Godefridi a Clermont loculamenta adeat, Qui affinitate cum ſtrenuo Archithalaſſo Wolferdo Harmans junctus, id velut aureum imbrem in ſinu ſuo nactus eſt: vel Am-

 ſteroda-

ſterodamum petens moniliarium *D. Ioannem van Maerle* interpellet; hujus officina ſupellectile gemmariâ, atque aliâ fertilitate pretioſâ turget & velut prægnans eſt : Illiûs armarium accuratâ Cupediarum meſſe oculos delectare ſolet.

Ne *Samuel* quoque *de Bendana* Luſitanæ originis honeſtiſſimus vir oblivioni tradatur. Eos viros ſalute dicendâ impertiri ſi dignaberis pervios ſorulos & Muſęi ſecreta divulgari gaudebis, tanta apud eos officiorum ſcaturigo! *Ioannes Tradeſcantius* Regis Anglię Botanicus inter ceimelia ſua dimidiatam nucem aſſervat.

Contemplatio certè plantarum, fructuum, inque viſceribus terrę & ſuperficie ejus, nec non in maris fundo naſcentium immenſa eſt, ſi quis varietatem, numerum, ordinem, odores, ſapores ac vires æſtimare velit. Quę omnia pertractatè eloqui uulli facilius eſſe poteſt, quam Naturæ ipſi quæ laſcivienдо & variè ludendo ea depinxiſſe cernitur.

## CAPUT VI.

ROgatus à me Clariſſimus D. REALIUS ut ſuam ſententiam ſuper dubiis quibuſdam meis communem facere dignaretur, non invitâ Minervâ (mira enim Viri tractabilitas) pręſtare aggreſſus eſt in Aphoriſmos & Theoremata conſciſa ex tempore eam digerens, quę ex ordine à me in contextu depromuntur, in Latium tranſlata.

*Aphoriſm.* I. Nux Indica vulgaris tantæ utilitatis, tamque fructuoſæ eſt, ut omnia quæ jus vitæ conſervant velut eſcam, potum, condimenta, cultum, amictum, ædificia & naves proferat. Nux vero Maldivenſis Medica omnia adverſæ valetudinis amuleta in ſe continet.

*Scholion.* Palma coccigera vulgaris omni tempore fert nuces viretque toto anno fructibus ſemper aliis ſubnaſcentibus: aliæ matureſcunt: & quod *Pontanus* alibi in Heſperidum hortis, de malis citriis teſtatur, de hâc Palmâ dici poteſt;

*Flore*

*Flore novo ſemper, ſemper quoque fœtibus aucta.*

Nec injuriè pronunciare licebit nihil aliud Coccum Medicum eſſe, quam Coquum Panaceæ, vel Orphea miri ab interitu receſſus artificem, Fatiſque imperare ſolitum, cum multi ad vitæ deſperationem ducti eo mirificè convaleſcant.

Quæ autem commoda è vulgari Nuce proficiſcuntur, ea habentur apud *Cardanum, Scaligerum, H. Linſcotanum, Franciſc. Pyrard de Laval, M. Ignatium.* Videantur obſervationes eorum cum non ſit hujus loci plura recenſere.

*Aphoriſm.* II. Tenelli Cocci Indici vulgaris compago per fructus adoleſcentiam cultri acie facilè divaricatur & è vulnere humor clariſſimus & potui aptiſſimus eliquatur, qui tractu temporis in vegeto ac illæſo fructu poſt concoctionem, digeſtionem, & ſegregationem è craſſionibus ac terrenis partibus internos parietes inveſtit. Serum verò omne in centro locatur, & quaſi caſeatione factâ medium locum occupat, ſicut ruſticum artificium in lacte vaccino demonſtrare ſolet. Pari ratione conjectari fas eſt, humorem Nucis medicæ coagulando in ſolidiorem maſſam redigi, quod tamen nullus autopſiâ aut oculis ſuis dimenſus eſt, poſtquam in maris profundo acceſſum humanum non tolerat.

*Scholion.* Quæſtio à quibuſdam inſcita movetur habeatne Coccus Maldivenſis ortum homonymum, ut quædam animalia ex limo ſine ſpermate? gemma ſeu germen negat, quod nucis involucro clauſum Palmæ arboris partu originem ſumit, & ex principiis arbori inſitis velut animalia ex ſanguine ſemine & calore innato, augmentum capit, & adoleſcit in eum formæ ſtatum qui naturæ decreto illi præfixus eſt. De arboris verò ipſius generatione tutius cavillari licet, quæ in maris profundo radicata, germinis acceſſum recipere nequit, mari perpetuum motum explicante, neque natatilis rei in imo ſui permanentiam ferente. Hinc cocci ipſi ad maturitatem per-

lati

lati in aquæ ſuperficiem velut eructantur. Neque veriſimile eſt ubi ſublunari aëre inaruerunt, ponderis gravitatem, ut ſubmergi poſſint, induere. Ex terra ergò velut plantæ (ut infra dicimus) & marini frutices generantur; aut potius ex terra in limum maris uligine dilutâ. Qui limus velut ſeminis eſſentiam nactus, arborem ſui generis educit. Speciei autem perpetuatio fit, nunquam ceſſante in profundo maris opifice Naturâ.

In plantis unius animæ vegetantis tria officia ſunt; generant, nutriuntur, & creſcunt. Non tamen omnia unâ Naturæ lege progenerantur, quandoquidem è terrâ, ſucco, ſitu & ſole variantibus, diverſimodè pullulant. Marini frutices duabus ſolùm vitæ functionibus pollent, nutriuntur & creſcunt, ſimile ſui non gignunt. De vitâ & nutricatu plantarum, ſentiendum quod de animalium alimonia, trahunt ſuccum ſibi familiarem, retinent, concoquunt, ſegregant, & recrementa expellũt, beneficio caloris & ſpirituum, quibus perfunduntur. Quod doctiſſimis Aphoriſmis Cl. *Petrus Lauremberg ius* Ph. & Med. D. & Profeſſor in Gym. Hamb. declarat. Cl. *Realius* caſeationis exemplum, quod manuum operâ præſtatur, aptiſſimè applicuit.

*Aphoriſ.* III. Cocci vulgaris cortex induratus ſerræ aut mallei vi ad apertionem opus habet, Ferro aurem tranſciſſus ac diruptus omnia velut in proſcœnium educit, ſolidiorem nempe medullam, intermedium corticem, & humorem limpiditate abblandientem paulò ante, jam verò potui ineptiorem & olei fermè facie indenſatum. Medulla verò nucleo avellanæ noſtratis duritiâ graphicè aſſimulatur; quare limæ contumaciæ ex facili cedens ad lac & Emulſiones temperatur, è quibus omnia coquinæ neceſſaria, velut oleum, vinum, acetum, melliſque & ſacchari æmula colligi ſolent. Idem de Maldivenſi ſentire non eſſet piaculum; verùm quùm ea non niſi indurata & in littus, poſt longam moram, ejecta reperitur, humanæ

humanæ mentis caligine conjecturæ tantum locus remanet; quod definitè in apricum exiret, ſi ſublucatâ arbore fructum manu carpere liceret.

*Scholion.* Cocci vulgaris, Areccæ & conſimilibus fructibus involucra multa circumpoſita ſunt; haud ſecus ac fœtui membranæ ad tutelam. Vulgaris Cocci Nucleus variis uſibus aptus, ſed medico uſui inconcinnus, uti Garçias Sepulvedam Autorem, & ipſos Indos increpans, Paralyticos è vaſculis vulgaris Cocci bibentes nunquam juvari ait. Variam Cocci indolem hucuſque enarratam vides ſed non hiſce tantum differentiis conſtringendam, poſt quam alia quoque Coccorum propago in aliis territoriis invenitur, prout Natura Polydædala unicuique Regioni peculiarè ſuum eſt elargita. Inſula enim Maragnanę quatuor exhibet palmarum ſpecies, referente Cl. V. *Ioanne de Laet*, Cap. XI. Lib. XVI. Hiſt. Occident. Indiæ; qui plurium ad palmas & Coccos pertinentium ſparſim meminit, quibus Theſaurum noſtrum exoticorum ſplendidiorem ſum effecturus, velut & D. *Bontii* P.M. doctiſſimis & exactiſſimis plantarum Indiæ Orientalis deſcriptionibus Cl. D. *Speccio* Generali inſcriptis, aliquando ditaturus.

*Aphoriſm.* IV. Uſus medullæ vulgaris nucis eſt multifarius: verùm Maldivenſis Medicæ apud Indigenas, Reges, magnates Indos non unus, ſed infinitus fermè, & ſuperſtitione non vacuus; cum hic ſanitati conſervandæ, ille vitæ ſuſtinendæ, privilegio Naturæ, conſecratus feratur.

*Scholion.* Medulla utriuſque nucis eſt potior pars. Vulgaris Culinariæ, Maldivenſis autem medicamentariæ rei, quod infra docebimus peculiariter deſtinata, quare de vulgaris medullâ plura dicere ſuperſedeo; cum citra meum ſit inſtitutum.

*Aphoriſm.* V. A nemine quod quidem ſcire licuit, ſcripto hactenus teſtatum eſt germen ſeu gemmam promi, quæ piſi formam repreſentat, ſubinde fabæ effigiem exprimit, è rotundo longiuſcula, aliquantum acuminata, è mediis liquoribus

nata, prædulci ſapore linguam afficiens. Hoc germē in ſpeciei conſervationem adoleſcit, & a fide alienum non eſt aliorum quoque fructuum nucleis à natura id datum eſſe. Ut jure a Plinio majori Trogus taxetur his verbis. Nam folia Palmarū apud Babilonios ſeri atque ita arborem provenire Trogum crediſſe demiror. Uno tamē inſigni noſtrum prævalet, quod in gemmam lapillis aut margaritis nitore ſuo & lævore æmulam ſubinde transfiguratur. Sed Naturæ ſeu decreto, ſeu invidiæ tribuendum eſt, è decem millibus fructuum vix unam tam fauſti puerperii & fæcunditatis participem eſſe. Eadem vero in Maldivenſi Medicâ uſu venire poſſe, judicio non aberrante dicere licet. neque à ratione abſonum eſt, quùm in fructu Pinang, Areccâ, Palma-Pino & conſimilibus experientiâ magiſtrâ veritatem adepti ſumus.

*Scholion.* Lapillus hic vel gemma ipſiſſimum & purum putum germen eſt, quod partibus internis (aperturæ nimirum) quamdiu adhæret, ſpiritibus atque alimento communi fruitur, donec ad juſtam magnitudinem perlatum, naturæ decreto non caſu aliquo, aut aperturæ vitio extra ſolitum locum ſubinde movetur. In cavitatem verò nucis receptum germen ſuis ſe igniculis ſuſtentat; quos Natura formatrix ad fomentum illi indidit, velut fœtus humanus exacto noni menſis ſpatio ad lucis uſuram extra uteri receptaculum amandatur; ſcilicet adminicula vitæ, ut adoleſcat, ad plenum nactus. Quæ hic prolixius recenſere alieni muneris fore judico. In duritiam vero nativam non frigoris ambitu concreſcit, (quis enim in latebris nuclei occultus eſſe queat?) ſed ſeminio interno, quod illi à matris velut utero remanſit, ut vi efformatrice in ſpeciē ſuam, quæ oculis obvia eſt, & virtutes illi debitas, quæ occultæ ſunt, effigietur. Quod rationi conſentire ſanguinis extra venas effuſio evincit; qui ex quo aſſimilationem aut (ut Medici ajunt) appoſitionem effugit deſtitutus fomentis ſolitis coagulatur, vel in putredinem degenerat. Noſtrum verò

germen

germen architectonem internum ſecum ferens, magis magiſque ad perfectionem adoleſcit; velut fœtus nuper editus ad ſtatus ſui complementum perducitur. Quocirca neque germinationi ineptum eſſe, etiam in aliquo duritiei rigore una hac ratione deduci poteſt. Neque eſt ut ab hâc ſententiâ recedamus ob duritiæ aliqualem habitum, poſtquam occultis naturæ ſpiraculis, quicquid humanis ſenſibus abditum aut impoſſibile videtur, in actum experientiis ſuis comitandum deduci ſolet, nô ſine miraculo & judicii humani ſtupore. An vero arboris primitivæ unde ortum eſt ſpeciem edere queat multæ dubitandi rationes affirmare vetant; quas hîc ſuperfluorum ſerie comprehenſas præterire libet, etſi in Scholio ad Aphoriſmum ſecundum bona earum portio inveniatur.

Ad lapillos noſtros ſeu ingemmatas gemmas revertamur, quarum numerum aliquem habeo in loculamentis meis, eas dico præ laxitate aperturæ (quod aliquando fieri conſuevit in exſiccatis & neglectis, aut è natali loco tranſlatis coccis) intro redactas & coactas, atque ita cum non ſit magna germinis diuturnitas, eſſe in lapillos converſas; quod auctoritate clarorum virorum variè docebo & non abſimilibus exemplis. Lapillum habeo ſingularem articuli majoris digiti magnitudine & formâ, pondere dragmarû trium (cum vulgarium Coccorum dragmæ dimidiæ pondus non ſuperent) lævore & nitore ſplendentem, & in ſummâ parte acuminatiore, tranſparentiâ unionis dotatum mirum in modum oculos oblectantem. Hic ſuâ quadam gratiâ foliolorum primitivorum idæam quandam obliquè contortorum (ſicuti in gemmis pluribus grandium plantarum videre eſt) promittit; quare mihi & delicatioris ſenſus viris acceptior eſt. Illud interim non prætereundum hanc foliolorum diviſionem actâ radice ſpargi, & lateraliter aſparagis aut turionibus adhæreſcere, & è terrâ exſurgere aliquamdiu, tandemque, ut inutilia, decidere alimẽto deſtituta. Omne fabaceum & Phaſeolorum genus nec non Indicarum

Stirpium aut arborum grandiores fructus meo hortulo commiſſi, vivum exemplum afferunt. Faba ex Wingandacow, Cola alba, rubraque & ejus generis plura; quarum Theſaurus noſter utriuſque Indiæ plantarum aliquando fidem faciet.

*Aphoriſm.* VI. Verùm in quibuſdam Coccis, coagulatum, quod à caſeatione remanſit, Maſſulam dixeris ceu pomulum exiguum leve & ſpongioſum, & maſculæ Palmæ proprium eſſe dicitur dulcedine excellens, nivemque albidine adæquans in mediis liquoribus fluctuans. Vulgò etiam germinis nomine inſignitur, èſui perquam aptum. Cujus in Maldivenſi fortè ſimilitudinem nunquam videris.

*Scholion. Fr. Pyrard* arbitratur liquorem tantummodo in germen abire & verti, medullamque germinationi in ſolum fomitem adaptatam eſſe, quod ex plantationis modo videtur probare, verùm rationem ſuam infirmam facit, cùm paulò infra in tractatu peculiari de commodis nucis Indicæ vulgaris, maturam & ſiccam nucem terræ mandandam dicit; & è maſſulâ quadam internâ ex ſucculentiâ aut liquore concretâ nempe figurâ pomuli, extrorſum ſubluteâ, introrſum candidâ tenellâ atque ore detentâ ſolubilis veram Coccorum propaginem ſeu gemmam ipſam eſſe affirmat, cum ipſiſſimam ignorèt quod antopſia propria & ex ralatu clarorum virorum Generalium habui, qui ad plantationem nucum decem mille inacervos cumularunt, è quibus trium hebdomadarum circiter ſpatio elapſo ſeligere eas jubebant, quæ germen jam ante numeris ſuis abſolutum, & nunc in promptu ut exeratur & exertum gererent, terræ gremio committerent, & reliquas huic fini ineptas ad alios uſus relegarent. Quo verborum ſenſu facilè germinis aperturæ inſidentis præſentiam non fruſtra à Naturâ fabricatam, docet Caſtanea marina & noſtra ipſamet domeſtica. Omnis gemma ſolitaria ſi in terram deprimatur, radicum fibras tantum non materias creat.

Egre-

Egregie Doctiſs. Thobias Roelſius in Epiſtola ad Cluſium his verbis germinis naturam explicat.

Habui hujus Palmæ nuces aliquot integras (intelligit vulgaris) cum ſuis villoſis corticibus, quæ in itinere vaſi incluſæ, germinare cœperunt. Harum tibi binas mitto. Alterius nucis corticem ſuſtuli, ut germinis exortum & ejuſdem radicationem poſſem videre commodius: tertiam cum germine nucem penes me ſervaveram, cujus prædurum & ligneum putamen internum aperiens ex hujus medulla germen traxiſſe initium obſervavi: Nucleus ſive Medulla concluſam in ſe non habebat aquam (quæ nucibus Indicis recentibus & non germinantibus ineſt ſemper) ſed aqueum illud in materiam fungoſam excreverat, dum forte in germinis alimentum converti cœpit. Germen exit è nucum harum foramine tertio, & mox extra foramen ſtatim ab exortu per corticem exteriorem craſſum ac villoſum quinas ſenaſue radicum fibras dimittit in terram, per quas alimentum ſuæ naturæ conveniens attrahat. Germen quod per foramen emergit unicum, ſimiliter perforat villoſum corticem, atque in unius nucis ſtolone veſtigia foliorum arundineorum conſpiciuntur, quę bifida vel bina ſunt, & vix aliquam videntur habere latitudinem, quod quinque vel ſex plicis commiſſa ſint: folia primum in vaginâ latuiſſe videntur è qua prodierunt necdum expanſa, ſed plicis commiſſa, ut iīnet ipſe hæc omnia in altera hac quam mitto nuce contemplari potes, cujus germen in longum exceſſiſſe videbis trium palmarum menſuram. In hoc argumento prolixior ſum præter morem; quod autem ſpectat ad ſexum palmarum, Cl. R E A L I U S aſſcribit maribus germinationem eſſe propriam. Palmæ perditè ſeſe amant, quod & ruſticis ipſis notum eſt; & conſtat rebus ſurdis & ſenſu carētibus odia & amicitias ineſſe, ſicuti etiā errores in animalibus & plantis inſunt.

*Aphoriſm.* VII. Spiracula autem illa duo in vulgari nuce, inſervientia fortè exhalationi recrementorum, ſede paulò

 inſe-

inferiore locata Aperturæ germini aſtant. Ea habent in Medica nuce etiam locum; non inſimiliter ejus germen quod verè in gemmam ſeu pretioſiſſimum lapillum verti poteſt, cum diutius ab alvo natali magnę matris ſemota, & cœlo ſoleque patre fruſtrata in lucem fertur.

*Scholion.* Apparet ex facili in quem uſum illa foramina Nuci indita ſint, ſcilicet ut alimentum ſuum & ſpiritum Opificis naturæ vehiculum ex nuclei ubere & ſubſtantiâ in ſe reciperet. Ubi autem faſtigium incrementi ſui nacta gemma aut germen à nucleo aliquomodo deſertum, veſtigia tantum foraminum quæ ſenſim obturata ſunt, prætendit; non jam alieno nutricatu opus habens, ſed intra ſe claudens quo in propriæ ſubſtancię ſpecimen & formam mutari poteſt. Quod aliorum quoque fructuum exemplis ſtabiliri facilè eſt, qui nucleis inter ſe clauſis, pręgnantes ſunt, ut hoc velut parente arboris congeneris ſpecies aliquando naſcatur. Etſi non omnes fructus nuclei neceſſitate ad propagandum opus habent; quod in Scaligeri exercitationibus fuſè probatum invenitur.

*Aphor.* VIII. Coronidis loco addam Lapillos præcipue hos è germinibus utriuſque nucis ortum ducentes, uti & è *Pinang* &c, fructu, Panacæam ſententiâ Indorum in ſe habere; quocirca præter internum uſum, Indi eos annulis etiam aureis & argenteis includunt, foramine relicto, per quod Lapillus carnem humanam contiugat, quod pro amuleto adverſus incarnamenta non abſque ſuperſtitione ſeu humanæ mentis ludibrio aſſeruant. Pronum enim Naturâ ad vanitatem genus Barbaricum!

*Scholion.* Opinio cum in Idiotas cadit indelebilis eſt, dicente CL. V. C. Bartholino, horum autem gratiâ non explodenda ſunt, quæ a priſcis aut neotericis accepta, ſeu de occultis naturæ viribus ſive inauditis, licet fidem ſuperare videantur, a me in medium afferuntur: ſicuti & ſententijs adverſariorum occurrere probabilitatemque fulcire levidenſis operis

ris erit. Redeo ad gemmarum quarumlibet & plantarum, imo ſeminum præcipuè exoticorum hiſtoriam. Senna Alexandrina, Lithoſpermon, Lachryma Jobi ſata, vertuntur in lapillos dentibus examinandos, amicis propoſita pluries in horto meo, licet pars horum excreverit. Certè mira in viſceribus terræ efformantur quorum cauſa ignoratur, teſte eodem Bartholino, in opuſculo de unucornu ejuſque affinibus & ſuccedaneis, qui diſertè omnia enarrat huc ſpectantia. Quare in ſolidiſſimæ compaginis gemmam Cocci Maldivenſis, ut & vulgarium, germen verti poſſe, naturæ privilegiis ad eam formam concipiendam dotatum, affirmo. Atque hæc de utriuſque Nucis germinibus in lapillos verſis dicta ſunto.

## Caput VII.

ALterum non vulgare æſtimationis exemplum reddetur quà Clariſſimus Speccius inſtitutum noſtrum decorare dignatus eſt. Epiſtolâ enim propriâ manu exaratâ in publicum profert non inſignia tantum, ſed & utilitates rariſſimæ nucis, quæ ægritudines humanum corpus affligere ſolitas velut Averruncus depellere conſueverunt. Ita de Medicinæ hâc parte optimus & excellens vir benemereri voluit; Quadringentis inſuper ad ſplendorem Facultatis attinentibus Theſauris orbem ditaturus, qui nondum uſu comperti, aut ab aliis neglecti & malè deſcripti hactenus infuſcantur. Quos petitioni illius obſecundans in ordinem digerere aggrediar ubi otium animi mei gaudio allubeſcere volet. Epiſtolæ verò tenorem non de verbo ad verbum, ſed quantum latinitas permittit, ſenſu illæſo explanare levitas laboris eſt, ſed eâ curâ, necubi fides interpretis vacillet, vel legentium ſtudio turbæ fiant. Apographum verò in ſequentium ſerie proferre non piget.

Cl. V. D. Cluti. Inſtinctum tuum boni & magni Zeli exper-

expertus ſum, poſt nuperum ex Indiâ reditum iteratis tecum colloquiis, non tantum humanæ ſalutis curioſis, ſed etiam de honore patriæ ſollicitis. Quocirca velut aculeo me propulſaſti, ut memoriæ meæ arculas eventilarem, indagaturus quãtum in iis ſupereſſet, quo Cocci de Maldiva, atque aliarum minoris pretii nucum genus elucidari poſſet. Quod etſi ejus monetæ aut valoris non reperio ut appetitui tuo acriter flagranti ſatisfieri queat, ne quid tamen officio meo deeſſem, ſermonis breviario quicquid memoriæ meæ velut poſthumum remanſit, tibi conſecrare aggreſſus ſum, in quo te promum condum eſſe jubeo, eorum quæ materiæ tuæ & propoſiti terminos ampliare queant. Et in prima quidem ſerie. Anteſignani partes occupat, Legitimum de Maldiva Coccum, qui in aulis Indorum Principum, atque inter Nobilioris gradus viros, ob rara inſignia, & Medicinæ efficaciam tanto honoris pretio attollit ſolet, peculiaris arboris ſobolem & fructum eſſe, longo diſſipio a vulgarium Coccorum atque nuciferarum arborum indole remotum. Quemadmodum experientiâ duce, Anno milleſimo ſupra ſexcenteſimum & octavum in littore & maritimis Indię locis addidici, occaſione navigii ex Inſulis Maldivenſibus adventantis, ut veterum Coccorum proventu ferax, Calecuticam terram aut aliam conterminam ſublegeret; quod prætoriæ noſtræ curſu interceptum, & nautica gens explorata, intelligendi anſam præbuerunt ſcapham eam cum omni armamentorum genere penes mercimoniorum congeriem, atque ipſum cibi & potus penu, totam ex ligno, foliis, cortice, fructibus Cocci arboris conſtare, pauculo tantum orizæ adjuncto. Popellus vero hic affirmando rateſcere jubebat, negotiationem ſuam hoc fructu circumſcribi, atque ejus vecturam certis anni temporibus in continentem ſe facere, veſtium atque aliorum neceſſariorum verſurâ eam commutantes, quorum penuria Inſulanos ſuos torquet. Quo occaſionis ductu ad ſtudium tam appretiati

Cocci

Digitized by Google

Cocci de Maldiva excitatus ſum, quem plebecula illa in paucis Inſulis & numero contracto reperiri, & diligenti cuſtodiâ à territorii proceribus ad poſſeſſionem ſuam rapi aſſerebat; ut rarò & non niſi, aut titulo munificentiæ ad Malabarenſes, alioſque Principes, aut furti aſtutiâ in peregrinas regiones transferatur. Adeo ut mirari ſe dicerent noſtros tam ſolemnem Cocci Maldivenſis proventum in pauperculo rerum ſuarum ſtatu inter proletarios & rureſtres coccos indagare, aut antitheſin aliquam comparandi inſtituere velle. Horum omnium perſuaſu penes ea quæ experimentis propriis in prænominato & genuino cocco adhauſi, adducor ut credam & ſententia a me feratur, ſui generis arborem & fructum eſſe, longè a ſemitariis coccis recedentem; eo magis quod nunquam niſi inter Summates magnâ pretii æſtimatione aſſervari intellexerim, in quorum fidem memoria mihi ſuggerit me Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto menſe majo à Moluccis ad Bantamenſes reverſum, juſſu Archithalaſſi *Bothii* P.M. Cum jam defuncto *Coenio* eo tempore præſidis munus adepto auctoratum eſſe, ut quædam ſocietatis negotia ibidem procurantes ſenem Pangoranum *Ariſam Mãgaca* jam tùm Regis ſceptro Bantamenſibus imperantem conveniremus. Eum vero in Regiæ ſeceſſu inſtrumentis ad tornum paratis & adminiſtrorum frequentia circâ magnæ molis Coccum Maldivenſem adeo deſudantem offendimus, ut longo temporis diſpendio curas noſtras ſuſpendere coacti ſimus, atque in vicem, de prædicto cocco colloquii textum ordiri; quem manibus Pangorani verſatum memoriâ aſtipulante magnitudinis raræ & magis in longitudinem extenſæ quam rotunditatem convolutæ eſſe pronuncio; ſed ſubtilis ſubſtantiæ teſtam inciſurâ aut fragmentis atram, cæterum vulgaris Cocci tam externè quam internè non abſimilem colore. Is in fruſta varia diſperſus erat, ut ſciendi apud nos difficultas remanſerit, caſu inaugurato an ſtudio humano in eam formam

D redactus

redactus eſſet. Ea tamen Principis adminiſtratio fuit, ut non minori curâ minutas particulas, quam magnas cuſtodiret, poſtquam eas ſpeciatim ad uſum ſuum proprio digeſtu diſpenſaret, ne quid à particulis imo ipſo ramento & bracteolis à torno relictis, deperiret. Animadvertendo delineabam minora fragmenta, ab eo appropriari caliculis, ſcyphulis & cochlearium atque ejus generis aliis formis, quibus ſiccus, humidus, & ſuccoſus cibatus depromi poſſet, maximam ejus portionem, quæ nucis penè dimidium accomplebat, intactam ſinens. Quæ omnia in arbitrio oculorum & conſpectu noſtro facta facile evincunt, neque Principem operis ſui circa Coccum Maldivenſem puduiſſe, neque nos veritatem obtorto collo trahere. Ea tam curioſè inſtituta adminiſtratio præſidis *Coenii* linguam diſſibulabat ut Principis mentem modo variegato pertentaret, cujus ſcilicet energiæ nux ea foret, in quâ tantæ ſublimitatis Pangoranus & Princeps ſe diſtrictum tenebat, omnia propriæ cuſtodiæ tradens. Ad quæ reſponſum dedit, eam nucem legitimi & pretioſiſſimi Cocci de Maldiva progeniem eſſe, quam Codiacti aliquot Mercatores, nempe Mauritani, ante longum temporis ſpatium parenti ſuo magni muneris inſtar advexerant, eamque inter Iavanenſes, Malayenſes, Malabares, nec non alios Indici natalis populos præſentiſſimę Medicinæ laude cenſeri, ad omnem toxici hauſtum, & morbos divinos, febreſque magni diſcriminis. Ita præſidi *Coenio* mirum videri non debere (poſtquam ſanitati nullus Theſaurus prævalet) ſi ipſe manu propriâ verſaret & pervigili curâ omnia illi inſervientia cuſtodiret. Intra hunc reſponſi tenorem, tornando ſe occupabat, tam ſtudioſè omnia deſignans, ut legationis noſtræ propoſitum exequi nullâ ratione liceret. Quæ cauſa Præſidem *Coenium* inſtigabat, ut dum ille ſermonis filo inſiſteret, fruſta quædam nucis oculari inſpectione uſurparet, & manibus ſuis insereret, velut mihi quoque ſpectaculi commoditas non deerat. Atque in hoc ſermo-

ſermonis curriculo *Coenius* petere inſtitit, num fruſtulenta quædam in uſum Generalis *Both*, corradere illi liceret, quod aulico ritu accompletè præſtabat, quo audito in habitum ridiculi furoris verſus Pangoranus, fragmina ea ex manibus *Coenii* eruebat; reſponſum interim bucca follicante ſupplens, ſupercilio nubilo & in rugas caperatâ fronte, fœlicitatis & favoris affatim eſſe, tantam majeſtatem Cocci, oculis peragrari poſſe. Abſonum inſuper videri mendicando inde aliquid extorquere velle. Ad quæ Cl. *Coenius* verbis benè digeſtis reponebat non proprii commodi ſe oratorem eſſe, ſed petitionis ſuæ cardinem in-eo verſari, ut Generali *Bothio* doni gratiam faceret, qui vir præcellentiâ celebris, & velut ipſe Princeps famâ accepit, jam in præcinctu eſt in patriam reverſurus; & proinde doni iſtius magnum meritum illi fore. Quæ omnia Pangoranum adeo non ad liberaliorem habitum perducebant, ut reſponſi vicem præberet, in procaciam verbis adaptatis, Coccum Maldivenſem ejus pretii, apud Reges & Principes, non minorum gentium Generales diverti debere. Quo reſponſo mirificè genio ſuo litabat, poſtquam intra Belgarum & Anglorum apud Bantamenſes moram, oraculi inſtar ſanciverat, ne quis generales aut alterius ordinis Rectores utriuſque nationis, inter Principes & Aulicos adminiſtros numeraret; quod Mercurio vota facerent & lucri cupiditate turgerent, eoſque viliori reſpectu & ſpretu majori ſemper dignatus eſt, quam territorii ſui Dynaſtas & Inquilinos, quorum curæ circâ Principum & Regni negotia limitarentur. Quibus ità decurſis Pangoranus ritus ſuos in aliam faciem mutare occæpit, Cocci Mald. fruſta ſeponens, noſque ad auditorium ſuum expeditionis ergò admittens, nulla ratione ſe induci paſſus, ut tantillum Cocci Mald. Generali BOTH admetiretur. Quæ omnia domum reduci *Coenio*, recenſendi occaſionem præſtabant, ut de dignitate Cocci Maldivenſis & aviditate Pangorani colloquium texens in cachinnos genas laxaret. Tam ra-



Digitized by Google

ram Cocci Mald. dignationem ex Pangorano ubi percepiſſem atque oculari inſpectione aſſecutus eſſem, quâ ſollicitudine cum tantus Princeps verſaret & cuſtodiæ ſuæ traderet, cupiditatem in me & curam ingeneravit Coccos ejus notæ aut ſaltem taleolas aliquot acquirendi, velut deinceps poſt bonam temporis menſuram minutula nux Maldivenſis ad dominium meum tranſlata eſt, in totum differentiâ à jam dictâ aberrans; poſtquam ea anſerino ouo major non eſſet, compagine teſtæ craſſior & ſcabroſior, nec non ratione proportionis magis extenſa in longitudinem, quam in præcedentibus enarratâ. Multoties limâ aliquid abraſi & ſubinde in gelidã, ſubinde in calidã demerſi, explorandi induſtriâ, quę varietas coloris, odoris aut guſtus contra ordinarii Cocci indolẽ ſe propalaret, atq; experimento comperi eam ſimili quãtitate & doſi liquoris, in æquilibrio ſoliti Cocci, ſaturatiorẽ Cocci colorem, fragrantius ferientem odorẽ, & acutioris ſenſus ſaporem manifeſtare, quod cum me interni farctus aut medullę deſideroſum efficeret, nucem meam ad digiti latitudinem in ſuperficie ſerrâ detruncavi, quod ipſum non niſi ſubtili acie & poſt multos labores effectum dare potui, poſtquam ſecundum jam dicta, teſta craſſa admodum & immenſa duritiei contumaciâ reſiſteret. In aperta contra genium & naturam vulgarium Coccorum Medullam albam deprehendi, quæ communi velut lege, teſtæ coaluit, non diſſolvendo penè nexu, qua à calice ſeparata offendi ſolidam velut medullæ maſſam, ad paleę latitudinem à circuitu teſtę diſſitam, ſui quaſi juris, ad teſtę effigiem concluſam & excitato motu ſtrepere ſolitam, tanta ariditate refragantem, ut cultro, aut novacula exiguum modò ramentum ſeparare liceret, quod ipſum duritie cum oſſe certabat; nihilominus aliquales aſtringentis amaroris vires promebat.

Atquę hęc pręcipua ſunt, quę tibi V. Cl. de Cocco Maldivenſi communicanda novi, hac quidem temporis occaſione. Cęterum non mihi deeſt ampliora de communi Coccorum

atque

atque aliarũ palmarum genere participandi, poſtquam experientia proprio ſatu parta talem eorum cognitionem mihi largita eſt, qualis ſpecierum deſcribendarum modulis neceſſaria eſt. Quoniam verò præſens operis tui tractatus de ſolo Cocco Maldivenſi lapidem verſat, quicquid reliquum eſt, in futuram commoditatem differemus. Tuum interim erit eâ cordis propenſione jam communicata amplecti quâ tibi oblata ſunt. Tuus animo totus I. SPECX.

*Scholion*, [Tornando ſe occupabat] Mira naturæ ſedulitas in ferinæ propemodum nationis Principe, ſed quam cultioris ſeculi exemplis probabilem reddere licet. Quippe Imperator quoque Rudolphus II. noſtrâ ætate Toreutices avidiſſimus fuiſſe dicitur, manus ſuas fabrili opere occupare ſolitus. Ne quid tamen in mundi ſenectâ eum morem invaluiſſe quis arguat, poſtquam Iulium quoque Cæſarem in ipſo orbis pœnè natali ſtudium ſuum tornando detinuiſſe conſtat. Vel Suetonio teſte qui in ejus vitâ aſſerit Cæſarem gemmas, thoreumata, ſigna, tabulas operis antiqui ſemper animoſiſſimè comparaſſe. Utinam pejus collocatæ operæ nemo rationes reddere cogatur! Quippe otio intervallum largiente plurimi voluptati & Feſcenninæ licentiæ ſe dedicare ſolent, Aleâ & Fritillo potiorem ætatis partem oblimantes, unde tandem res domeſticæ franguntur, ſanitas labefactatur, honos præſcinditur, dum iſtis frugiferæ manus gloriæ immortalitatem familiæ, & ſalutis, imò & ſeculi temperiem parare ſolent.

## CAPUT VIII.

LUcem in tenebris quærere, neque unius, neque plurium ſimul eſt negotium, qui quidem vel oculorum caligine laborant, vel mentis acie hebeſcunt. Quod in Botanices Campo exertis indiciis documentum præbet, qui licet fertilitate hilari, & inextricabili copia abundet, humani tamen ſtuporis

vitio atque intellectus impervio tranſitu diu neglectus jacuit, imo pedibus variè diſperſus eſt. Antiquorum autem induſtria coli cœptum Seplaſiarii, atque his pejores Monachi, velut irreptione facta radicitus everterunt. Quippe tenebrarum alumni, atque inſcitiæ propagines, divinorum arcanorum incuriam ad medicinæ lanienam tranſtulerunt, ſcilicet in delegato ſibi munere inertes, in aſcititio atque alieno ingenioſi, ſi Dîs placet. Tanta vero malè rem gerentium efficacia fuit, ut Europæ, imprimis Italiæ non ſolum literatos, verùm & Aſiæ, Arabiæ, atque Africæ incolas traductionibus iniquis non ſine flagitio confundentes, ad quiſquilias ſuas & gerras pertraxerint. Quam fundi Medici calamitatem nitori ſolito reddere æquanimi & ſolido judicio præditi hominis, res eſt, quique varia per orbem jactatione, linguarum adminicula quibus Botanica ſuſtentatur, & herbationum, rerumque naturalium arcana penetravit. Ego autem licet eruditione & ingenio gregalis, pro viribus tamen effectum dabo, ut aliquam perniciei ſuæ maculam tam ſalutaris Scientia deponat. De Coccis verò & Palmarum generibus ſtudium meum brevi intendere voveo, poſtquam ad illuſtrandum à probis viris faces mihi prætenſos non diffiteor. Quippe & noſtri ſeculi in communicando liberalitas & ſuperioris non averſanda diligentia, rei Botanicę locupletiorem me eſſe volunt. Quos omnes ad inquirendi ſtudium preſſo veſtigio ſequi me fateor, ut ſi non æqualis aliquando, ſaltem parvo intervalli ſpatio ab ijs avellar. Quod effutitione in audaciam laxatâ à me dictum qui putabit, candoris noſtri patrocinio adductus, boni interpretis habitu, excipere debet. Neque enim eruditioni meæ, quæ tenellas dotes habet, palpum facio, ſed diligentiæ merita apud ſtrenuos quoſcunque ad abbacum vocare non erubeſco. Hac ſola ordinem aliquem tueri me invenient, qui Herbariæ quoque Rei notitiam jam longa temporis ſerie partam apud me vigere non ignorant. Neque plura in acceſſum aut augmen-

augmentum convaſare libet, ne operi noſtro brevitas conſecrata, verborum abundantia in Pandectas aut longitudinem immenſam evagetur. Rem vero negotij & difficultatis plenam propenſa animi alacritate decurrere ſtatui, quæ una multorum laborum exantlatrix eſſe ſolet. Si tamen proprijs ingenij viribus ſuccumbam, ad eruditorum virorum ſcripta confugiens pedamentū mihi præbebo. His quoque alibi defectum ſuum quiritantibus, ad Exoticorū theſaurum à me receptus fiet, quem proprio Marte ex ſcriptis & quandoq; colluvie(ut ita dicā) Autorum corrado, ut mihi & poſthumis ſubſidij loco ſervire poſſit. Quippe ex umbris domeſticis in claram cœli lucem aliquando exauſpicabit, modo pari vitæ & ſanitatis beneficio frui nobis dabitur. Quod D.O.M. largiri nobis dignetur, ut quæ verbis hactenus fucata apparent, in veram operis effigiem perduci poſſint.

Quemadmodum nihil efficacius aut probabilius docet, quam Eicones ad res propoſitas adhibitę, ita omninò neceſſarium duxi noſtrę huic Medicę nuci quinque tabellis fidem & autoritatem afferre, quod verbis non ſatis convenienter fieri potuit. Ex libris enim ſolis neminem aut Anatomicum aut Botanicum inſignem deveniſſe conſtat. Quia autem oculi miniſterium quod ingenii acumine & pręcellentia dirigitur, pictorem ſubinde facit, nunquam reiiciendi videntur, qui in utroque officio pręſtiterunt, ſcilicet rem verbis dilucidatam figuris exprimentes, poſtquam velut mutuum muli ſcabunt, ita oculus exterior internam mentis aciem illuſtrare ſolet. Quippe *Scaligero patre* Autore, Exerc. 75. Sect. 2. *Imago rerum nihil agit præter impreſſionem in ſenſus vel exteriores vel interiores, ad cognitionem.* Quę impreſſio niſi facta eſt, otioſam figurę oſtentationem dicere licet. Ait enim paulo ante, *Quippe imagines, ſpecies, repreſentationes, à motâ ſpecie omnes abeunt: niſi quæ in ſenſibus recipiuntur. Sunt enim horum picturæ, illæ.*

CAPUT.

## CAPUT IX.

QVandoquidem capite quarto nucis Medicæ diviſionem in partes, quibus facies diverſæ figurantur, præfatus fui; non inconcinnum judicavi, poſtquam ad vivum delineatas tabellis offerre licuit, paucula notatu neceſſaria depromere, quò plus lucis afferatur.

A



A litera denotat geminam nucem quam Thalaſſiarchæ Wolphardi munere tota affinitas poſſidet; cujus eiconem pręmi-

Digitized by Google

premiſimus, amuſſitatè eam exprimentem, ſed eâ cautione, ut ſculptori aliquid condonandum ſit, poſtquam pictura minus bene elaborata cælaturæ naturalis imaginem non expreſſit: quod jam in minoribus formulis paulo melius eſt præſtitum. Hæc itaque figura nucis Maldivenſis, non obliquè intuenti, ſed è directo introſpicienti & manibus contentæ viſuique oppoſitæ duplicatæ pyxidi comparanda venit, uſibuſque effuſionis propter rimas & hiatus inepta.

B.



B. Seſſilem & ſummam partem exhibet, quæ ſenſim declinat in modum interfeminei, facie oculis pudicis aſpicienti

C



horridâ &c. Hanc etſi æqualiter per latus alterutrius diviſam exhibeo, nihilominus, ne lectoris animo dubium aliquod offeratur, monendus eſt, beneficio ſectionis, quæ ſerrâ facta eſt in præcedente A, extrema orificia conjungi B. pro punctulorum ordine à nobis in circuitu poſito; & partibus reſectis extimis, nos integram nucem oblaturos. Conſideratis tantum tribus; nempe partis ſummæ acuminatioris præſertim habendam eſſe rationem, in cujus baſi apertura eſt, paulò ante a me dicta, quæ ſedes eſt germinis ſeu gemmæ, quam podici non iniquè accomparavi. Dein Spiracula duo conſideranda eſſe lateraliter in parte hâc punctulis annotatæ & ſupremâ regione

regione locata, quæ cæteris paribus magnitudine etiam non ſuperant vulgarium Coccorum ſpiracula. Ea ad ſcyphum conſolidandum obturantur, quod videre eſt in minore Cymbio Maldivenſi honeſtiſſimi Mercatoris Samuelis de Bendana, qui duo poſſidet ab artifice quondam Antwerpienſi, argento affabrè inveſtita. Tertium verò non eſt prætereundum, in integrâ Maldivenſi nuce, colliculum quaſi Veneris, fæmineæ pubis faciem dextrè æmulari, quę ſerræ molimine tranſadacta deperditur.

C. Litera Gibbam monſtrat partem, ceu fæmoralia poſtica videas, quæ clunibus turgent. In hac facie nihil conſideratione dignum occurrit, præterquam quod in acuminatiorem ſe erigat partem, quã ſupremam nuncupamus & inciſuram breviorem ut plurimum oſtendat, alterâ infernâ obtuſiore & latiore, cum curvaturâ circa baſim fructus, renemque humanum exprimente.

D.



D. Litera dimidiatum Coccum ad ſchyphi uſum omnibus numeris concinnum oſtendit parte ſiniſtrâ, cui ſi jungatur dextra, apprimè referunt par Calceorum ruſticorum è faginâ materia, *id eſt* een paer Hulſten of Clompen.



Digitized by Google

E. Litera, dat ſpectantibus dimidiatum putamen inverſum.

E



## CAPUT X.

HIS ita in præliminari operis diſpoſitis, auctoritates quoque alienas velut in depoſitum addere non vanum judico. Garçiæ præſertim ab Horto & aliorum Medicorum ſententiæ non præterlegendæ, quę ejus roboris Clariſſimo Cluſio viſæ ſunt ut eas in Latium ex Luſitanâ linguâ transferre non ſubterfugerit. Quas ipſiſſimis CLUSII verbis repræſentare operæ pretium eſt, ne interpolando, aut mutando alienæ diligentiæ

Digitized by Google

ligentiæ fraus fiat aut publico uſui aliquid derogetur, dum verborum, ut ita dicam, foliis attenta mens inſeneſcit.

*Garçias apud Cluſium pagina 190.*

Laudatur hic Coccus aut Nux (ſed præſertim ejus medulla) “
adverſus venena ab ipſis earum incolis. Et a viris fide dignis “
accepi, ad Coli dolores, Paralyſim, Epilepſiam alioſque ner- “
vorum affectus ſe utilem ſenſiſſe: a coli quidem doloribus, “
quod vomitum excitaret, ab aliis vero ægritudinibus im- “
munes reddi ægros, ſi aquam in iis nucibus (adjecto medul- “
læ momento) aliquamdiu conſervatam ebiberent. Sed cum “
non ſim id expertus, minus fidei his tribuo. Nullam autem “
periculum faciendi, occaſionem habui, quod uti malim me- “
dicamentis, quorum facultates jam mihi perſpectę, & multâ “
experientiâ comprobatæ ſunt: qualia Lapis Bezar, Theria- “
ca, Smaragdi, Terra ſigillata, & alia pleraque Medicamen- “
ta (de quibus ſuo loco) quam recentibus, minuſque certis. “
Nam quod nonnulli dicant, ſe hujus uſu commodum ſenſiſ- “
ſe, an id perſuaſione & imaginatione factum ſit ignoro hinc “
fit, ut nihil affirmare poſſim. Sed ſi quid certius cum tem- “
pore exquiſivero, ſententiam revocare non pudebit. Niger “
eſt autem hujus Cocci cortex, & nitidior vulgari Cocco, fi- “
gura ovali magna ex parte, nec ita rotunda ut vulgaris, me- “
dulla ſive pulpa interior, quæ ſiccata dura eſt admodum & “
candida, non nihil tamen ad pallorem inclinans, in ſuperfi- “
cie rimoſa eſt & valdè poroſa, nullo ſapore excellens. Do- “
ſis vero eſt hujus medullæ ad grana decem cum vino aut a- “
quâ, pro morbi ratione & naturâ. Inveniuntur autem hi “
Cocci grandes admodum, interdum etiam exigui; omnes “
autem in littus ejecti. Vulgari porro famâ accepimus, in- “
ſulas Maldivas aliquando continentem fuiſſe, ſed inunda- “
tione maris ſubmerſas has inſulas effeciſſe, in quibus obru- “
tę palmę fuerint, quę hos Coccos protuliſſent, qui terrâ in- “
durati, in hunc modũ conſpiciuntur. Sintne verò ejuſdẽ ge- “

tanquam ad ſacram anchoram. Fiunt in eam gratiam ex illo pocula quæ auro vel argento excipiuntur, & in navium triremiumque figuram efformantur, ad aquam bibendam, in quâ ex catenula, medullæ ipſius cocci fragmentum pendêre ſinunt: ſibique certò perſuadent, illis qui aquam ex ſimilibus poculis hauriunt, nullum venenum nocere poſſe, futuroſque immunes à multis morbis; in quos ſanè memini multos incidere qui ex ijs poculis bibere ſoliti erant. Et licet omnem diligentiam adhibuerim, nunquam tamen obſervare potui, ſimilia pocula aliquem ex morbis curare, ad quos utilia eſſe creduntur: potius igitur arbitror tantam laudem obtinuiſſe à vulgi opinione.

Nonnulli ex hujuſmodi vaſculis bibere ſoliti mihi affirmarunt ſeſe experientia didiciſſe jecur incendi, renes noxam contrahere, & calculum generari: nihilominus tamen magnum eſt eorum pretium, longéque pluris æſtimantur ijs locis ubi inveniuntur quam alijs procul inde diſſitis: nam interdum ejuſmodi nuces nudæ, neqne auro aut argento exornatæ quinquaginta aut amplius nummis aureis æſtimantur. Nigrior autem, nitidior, longior, majorque eſt hic Coccus, quam aliæ nuces Cocci communis.

Hactenus *Chriſtophorus à Coſta* qui potiorem commenti ſui partem ex Garçia aromataria hiſtoria deprompſit; quod facili oculorum tranſennâ animadvertendum, qui Palmæ Indicæ deſcriptiones ab utroque editas conferre dignabuntur, ſed neque heterogenea ſcripſerunt quotquot calami operâ in hac arbore deſudarunt; in quorum choro *Martinus Ignatius* ordine Franciſcanus non poſtremas occupat, qui in tertiâ hiſtoriæ Sinenſium ſeu Itinerarij novi orbis parte capite octavo hæc non perfunctoriè tradit. *Ioannes* autem *Hugo Linſcotanus* Folio exemplaris noſtri 17.18. Cap. 13. eodem mutui privilegio hæc ad ſe derivavit; ibidem promittens nucis Medicæ arborem integrâ hiſtoriâ enarrare in quo tamen velut

corvos

corvos hiantes nos eludit; vulgarem verò pertractatè decurrit, ſubſidiis in hanc mentem non excuſſus. Sed neque a more meo alienum eſt ſcriptis mutuatis opellam meam ditare, cum ne ipſe quidem *Iulius Cæſar* gregarios milites ad rei certitudinem vocare non erubuit, fruſtra Aſinio Pollione Imperatoris ſtudium criminante. Rivulis enim ex *Françiſco Pyrard de Laval* ad me ductis omnia ea digeſſi, quæ capitis ſecundi & tertii confiniis detinentur, ſed idiomatis Gallicī veſte in Latini ſermonis habitum mutatâ; velut neque oſcitando præterlabi paſſus ſum, quibus inſularum ſpatiis, quove limite, ea nucis colligendæ meſſis fieri ſoleat, non dimiſſâ cœli temperie & ſoli dotibus, magnam in genio deſcribendo laudem ſibi, arrogare ſolitis; ubi de earundem Inſularum latitudine (quæ poli elevationem adæquat) ſermôcinamur, eodemque filo diſpoſitionis efficaciam ad plantas, fructus, flores promanantem, detexere libuit. Nucum vero legendarum artificia, aut piſcandi modum neglectum jacere permiſi, in qua ſerie, anni quoque tempeſtas ordinem ſuum non invenit, velut extimæ quoque faciei delineatio penicillo noſtro caret, ſi quâ integatur ut vulgaris. Inquiſitione vero ſua dignatus ſum, an Medicæ Nucis gemini ſemper aluei à cœſurâ circumactâ, ut in Baſilica ſeu Iuglande. De reliquis in fidei tutelam muſſitabundus ſedere malui, quam otioſa proferre, quæ ipſis forte indigenis non obvia, aut inveſtigationis labori tam in aviis ſita terra, difficultatem afflare ſolent. Hoc mihi liquido conſtare fateor, nucis Maldivenſis exemplo adductus, aliam aliarum eſſe formam, quippe noſtra (cujus in præfatione ad Lectorem memini) ſummis labiis argento recipiendo ſedem præbuit, in circumactum cruſta ducta, pro vaſis figura. Wolfardiana autem ſerræ ſpatium cum injuria fuiſſet paſſa; quare duplicatæ tantum capſulæ pronam habilitatem aptavit, quarum cuſtodia Betel, Calx oſſium, Siri, Pinang, Arecca &c. quorum apud Indos uſus Maſticatorii vicem

cem præbet ab aeris injuria vindicantur; velut his clauſtris Ambra Griſea a ſordibus libera aſſervatur. Quanta verò nucum capedo ſit, ex Linſcotani ſedulitate cognoſcere licet, qui ad Regem Hiſpaniarum deferendas, duarum circiter amphorarum capaces fuiſſe ait, ſed in dimidiatis tantum eam menſuræ rationem probabilem videri, poſtquam integrarum circuitu duplam liquoris condi poſſe aſſeverat; ſimili dimenſo imo largius excurrente, noſtra celebratur. Eam verò Gemmis (quæ ad uſus diverſos ſalutiferæ vocari ſolent) adornatam volui; quarum pars mobili aptitudine neceſſitati urgenti inſervire valet, utpote Nephritico & Carneolo lapidibus, pars in cera radicem agens aut firmiter inſerta argento tranſlatitia fieri pernegat. Ut autem varietatis illicio indulgerem vicenis ſpeciebus imò pluribus copiam eam diſtinxi, in quibus ſplendoris gratia non vulgaris & ſuas delitias oculi curioſi invenire gaudent. Cymbium vero ea forma edolatum eſt, ab Artifice ingenioſiſſimo *Hermanno Martens* argentifabro & cive Amſterodamenſi, ut inter avem & piſcem medium animal referat. Gloſſopetra etiam linguam exertam animalis mentiens, obfirmat epiſtomium, quod in effundendo liquore intrò recepto aperitur. Rhinocerotis autem affabrè elaboratum cornu, operimenti claudentis vaſis aut Cymbii inſuper & vitri excipuli effundendum & ebibendum liquorem locum dat: Ita Philotheſejas & Jatrices poculum habes. Hactenus nucem noſtram medicam enucleavimus, ea in fronte operis congerentes quæ neceſſitas & filum rei exigere videbantur, nunc in poſticam reliqua trahere libet, ſine quibus tractatum mutilari contingeret; quare ſilendo non decoquentur.

## CAPUT XI.

PUtaminis raſura & pulviſculus concinuatus nulla ſaporis idea inſignitur, dum linguæ vehiculum, deglutienti tranſitum præbet, neque odoris ullam ſpeciem naſo admotus imprimit, ſed neque ventriculo exceptus nauſeæ occaſionem ulla qualitatis repugnantia irritat, nullo vomitus incitabulo infeſtus, neque alvum aſtringendo ſiſtens. Quæ omnia non tantũ fide ab aliis mutuata affirmantur, ſed domeſtico etiam in me exemplo autoritatem invenerunt. Quod cum veniæ præfatione *Ch. a Coſtâ* & *Cl. Cluſio* dictum volo; qui rem malè perpendentes juſto rationis æquilibrio non inſerviant. Veritas enim hoc ſolo, velut dictatore, enucleatiſſima prodit, dum experimentorum indago menti tenebras involuit. Nux vero noſtra incertæ fidei teſtimonium præbet, quod prumptuariis alienis rariſſimo uſu inſeratur, apud paucos duntaxat in orbe Europęo reperiri aſſueta, ut infrequens effecti exploratio ſit, & ſi maximè ad uſum manus tranſeat, mentis humanæ caligine difficilis ad veritatem acceſſus detur.

Color autem putaminis Maldivenſis natura ſua ater eſt, & non abſimilis Ebeno. Vulgaris autem tincturâ & ætate ater redditur & pulligine tantũ levi aſpicientium oculos detinet.

Liquorem vero putamini committere alieni arbitrii rem facio; velut neque hoc præmanſo opus habet, quo temporis intervallo ſcyphum obturare deceat, quove loci calore an frigore conſervandus veniat, poſtquam liberam unicuique ex re nata judicii aſſertionem facio. Neque enim periculoſa indago eſt, poſtquam pręter unam ſiccitatis notam, nihil ſenſui objicit, quod ſaporis ingratitudine Naturam aut guſtum offendat, frigiditatis enim temperamento ab exceſſu immoderatô avellitur; etſi ſuæ quoque caloris particulæ adhæreant, ita Elementis inter ſe commiſtis, ut fida ſubſtantiæ permanen-

manentia reddatur. Quod exemplo vaſculorum & doliolorum quorundam, & medicamentoſis cornibus levi opera probare licet. Ex Thamariſci præſertim ligno & corticibus fabricata fidem indubitatam faciunt à multis uſque ſeculis veritati nihil detractum eſſe. Quippe ne in continuo quidem uſu doliola ea nativam virtutem exuunt, operi ſuo jugiter ſtudioſâ naturâ. Quod Medicinam factitanti experientiæ adminiculum præbere poteſt, poſtquam ſcyphulus ex Antimonio arte Chymicâ factus neutiquam ſuæ energiæ dotes deponat, ut ut frequens ejus adminiſtratio ſit. In nuce autem noſtrâ clarum documentum erit, quæ non minorem leptomeriæ guſtuſue gratiam habet, quam Thamariſcus, qui roborando, atque reſerando, aliiſque modis ſtrenuus eſſe ſolet. In toto autem Naturæ opere multa ſenſibus obvia, rationi occulta ſunt, quæ deinde uſu adhibito velut ſplendeſcere conſueverunt. Quare Medici rationalis munus eſt, abditas qualitates non reiicere, quas conſervandæ vitæ & pellendis morbis utibiles eſſe multorum ſalus declarat.

Supereſt Medullæ quoque effecta & virtutes incomparabiles enarrentur. Quippe non ſolitaria tantum ſed aliis etiam ſimplicibus admiſta, valenter ſe exerit. Hæc corneâ duritie limam reſpuit, ſed cultro internæ parti adacta & mallei percuſſu fiſſa, mortario & piſtillo ferreo in pollinem redigitur, qui ἄϊδμ@- καὶ ἄπι@-. I. Inodorus & inſipidus eſt, non ſecus ac Lapis Bezoar Occidentalis, cui ſtriis, minus tamen viſibilibus, & colore affinis eſt. Ouilli autem caſei cruſtæ veteri aſſimulanda videtur, cujus pars interna rimoſa viſitur, externa quâ parietibus Cocci interius adhæſit, ſoliditatis firmæ, interventu corticis intermedii ſtabilita, à quo ſpano aut noctuino afficitur colore extrinſecè; materiâ albida cum dentium humanorum duritie certans. Pulvis nullum moleſtiæ comitatum habet, cum aſſumitur. In actum verò à calore & ſuccis ventriculi velut fermentando diſſolutâ ſubſtan-

tiâ perducitur atque ea operis efficacia eſt, ut fidem requirenti ſufficere queat.

Hinc ad integumentum internum, ſeu corticem intermedium tranſitus fiat; Qui oculorum arbitrio in Capſis meis tenellum ſe declarat; coloris ferruginei aut ſpani (mozent noſtratibus dicti) inſtar corii hircini in calceorum uſu craſſus; fibris quibuſdam à centro aut umbilico ad convexa ſuperficiei exteriora variegatim diſtinctis præditus, velut à Jocinore venæ & à Corde arteriæ ad omnia humani corporis membra derivantur. Hic autem è craſſioribus partibus contextus videtur, ſapore (quem Græci ἄτονον τῆς γεύσεως vocant) ignavè ſubaſtringens. Intra mandendum non ſe colligit & conglobatur, ſed per univerſam linguæ capacitatem ſe ſpargit. Quorum omnium conſenſu & ſuffragiis facilis deductio eſt, quâ temperie vigoretur, & quam Indolis habilitatem ſortitus ſit.

Gemmæ porro ſeu germinis Hiſtoriam in Aphoriſmis Cl. *Realii* & ſcholiis noſtris digeſtam reperies; quæ eo manus libramento à me conſcripta fateor, ut publico uſui prodeſſem, non inani verborum oſtentatione turgerem, modum ſervans, ut potius infra rem quam ſupra, aſtrictius quam effuſius dicere videar. Quid enim me moveret corticoſum aut villoſum integumentum, uti nucis vulgaris eſt, in Maldivenſi noſtrâ fingere, cum fortè eâ deſtituta reperiatur? ita non exceſſiſſe, ſed potius non impleſſe materiam dici malui, nec aliis ſcribendi poſt me anſam præripere; imò ſententiam meliora edoctus revocare non pigebit. Hæc quantum per mediocritatem noſtram licuit, Rei Medicæ & Naturæ ſtudioſis ſtrictim delibaſſe ſufficiant. Gemmarum porrò Nucis Ind. Vulg. in lapillos converſarum varietatem, ornatiſſimus Vir D. *Sam. Blommert* amicis requirentibus oſtendere ſataget.

## CAPUT XII.

QUandoquidem Opuſculum hoc abſque Hiſtoriis non legendum eſt, obſervationes & experientias noſtras ad firmandum inſtitutum adſcribo, a Collegis enim meis ſubinde rogor, ut præter ea, quæ à Garciâ recitantur, generatim, alia experimenta peculiaria aliquot, in quibus ægritudinis & curationis ſeries ſingulatim conſiſtit, explicarem, quo non modò quanta in hujuſmodi præſidio vis & poteſtas inſit, ipſis innoteſcat, verumetiam utendi modus, tempus & alia id genus. Horum igitur rogatu, nutu, autoritate & conſilio paucos ægritudinum caſus ſubjungere haud gravabor. Qui vero infraſcriptas perpeſſi ſunt, affectiones eorum pars adhuc ſuperſunt & fidei indubitatum teſtimonium dabunt. Interim ne præter ordinem videar agere, ad κριτήρια reſpicio ut ritè judicem: quæ ſunt *Experientia* quâ Epicurus atque Empirici eam ſolam ſequentes, nitebantur: præterea *Ratio*, cui Academicorum princeps Ariſtoteles tantum tribuebat, ut nunquam ab ea ſecedere viſus ſit, ſed cum Galeno ut rationem non deſpiciendam, ſic neque experientiam dimittendam dixerit. Quare (ut ad penſum redeam) exemplis aliquot proferam eas ægrorum Hiſtorias, apud quos nulla humorum præparatio, evacuatio, aut venæ ſectio &c. locum habere potuit; utpote veneno manifeſto affectis, ſerius Medicina paratur: nec non ægrorum quorundam quibus & venę ſectionem adminiſtrare, aut lenientis, aut ſolventis uſu, humorales dictas ęgritudines blandè per alvum educendo lenire & ſolvere conatus ſemper ſum, inducias nactus. Neque enim unquam vomitus a veneni pravitate, aut morbi divini excitus ferociâ, impediendus venit, quo Naturę beneficio fortè Medicamentum, tamque nobile Alexiterium impar reſiſtendo & corrigendo poſſet eſſe. Tepidam vero, oleum amygdalinum. Lac,

 vinum,

Digitized by Google

vinum, prębium aut doſim Cocci noſtri antecedentia, concedo; & licet ſemel exhibitum non fungatur ſuo munere, bonâ mente ut conſtantiſſimo patrono munitus, repeto eadem, ſubinde paulò mutata; neque ſexus, ętatis aut virium multam rationem habeo, cum in doſi non peccetur, quę Exempli gratia ſit à dimidiâ dragmâ ad integram aut ſcrupulos quatuor in appropriato liquore.

I. *Lucas à Salingen* eſu jocinoris piſcis Aſelli, quod inter devorandum fętore quodam fauces illius obſederat, in dubium venit, num patella quâ uxor fuiſſet uſa in excoquendo eo, nova eſſet. Paulo enim ante pulticulam, muribus interficiendis adparari juſſerat. Is ſolo pectore (quod mirum & nunquam mihi ante conſpectum) extemplò adeo intumuerat, ut crepaturæ vel diſploſionis periculum videretur præſens, & intoxicatus præ difficultate reſpirationis ſubinde animo pænè deficeret, pulſu variè agitato, ſicuti thorax ſolus ſtyſtoles & diaſtoles motibus cum livore faciei & totius pectoris mortem violentam minaretur. Ab hoc vocatus, etſi inviſendi munus non abſolveram, rei tamen certitudinem ex relatu filii cum haberem, confugi ad raſuram quam ex interna parte noſtræ nucis inter poliendum uſibus medicis reſervâram. Eique ʒ ß pondus, ad oculi (quod vocant) dimenſionem cum Hiſpanici vini hanſtulo, præ feſtinatione, exhibui: moxque domum me contuli, cum viderem ægrum citra nauſeam ventriculi aut vomitum paulatim ad ſe redire. Præſcripſi Enema commune malacticum cum acumine ſalis gemmæ, ſtatim iniiciendum; quod cum recuſaret ſe fluidam habere aluum dicens, exhiberi juſſi hauſtulum ex majore doſi corticis ſeu Cocci & ipſius etiam medullæ momento. Exempli gratia.

℞ Raſuræ Cocci ℈ ij. Medullæ ejuſdem ℈ j. quibus in pollinem ſubtiliſſimum redactis, adde ſyrupi ex multiplici infuſione florum Caryophyllæorum ſeu Tunicæ hortenſis (quem tunc forte fortuna præ manibus habebamus) ℥ j. aq. Meliſſæ

℥ j. ß

℥. j.ß. Cinnamomæ ʒ iij. F. Hauſtulus. Eo aſſumpto convaleſcere cœpit, ſtatim poſt bihorii ſpatium, quo præ fatigatione & corporis agitatione incredibili quiete & ſomno ſupervenientibus integrè reſtitueretur.

II. Non vereor altâ voce, & explanatâ oratione prædicare hiſtoriam ſecundam, in *filia Tibicinis & Muſici magiſtratus Amſterdamenſis, Magiſtri Cornelii* oblatam.

Hæc arſenici intoxicatione variè ſe jactans, ſymptomatibus huic veneno conſuetis affici cœpit. Mater ad me cucurrit querula quod citra notitiam filiæ arſenici aliquantillum gliribus interficiendis alicui farinę portioni commiſtum, filię ad manus veniſſet; quæ pro more virginum picâ ſymptomate depravatę ac vitioſæ appetentię laborantium, lambendo avidâ linguâ tertiam quaſi partem abſorpſerat: Ilico ad olei amygdalini recenter expreſſi unciæ unius doſim confluxi, cum ſyrupi violati ſeſquiuncia & duabus aquæ meliſſæ ſtillatitiæ: Quam potionem ubi vomitu rejeciſſet poſt horam aſſumptionis, & ſtatim alvo turbata laboraret, ilico ſub manu conſilium capiens propinavi. ℞ Raſuræ nuclei, & medullæ ejuſdem Cocci Maldivenſis an. ʒß Syr. ex infuſione multiplici violarum ℥ j. aquę bugloſſe q. s. F. Potiuncula. Huic poſt horam ſubſequentem denuo exhibui. ℞ Medullæ nucis noſtrę Medicę ʒß Syrupi de Mentha ℥ j. olei amygdalarum rec. expreſſi ℥ ß aquę Cinnamomi ʒ iij. aq. roſarum ℥ß F. brevis Potiuncula. Quâ cordi, ventriculo, inteſtinis & ſimul aluo ſatisfactum judicavi, cum nullum grave ſymptoma ſequeretur; fuitque reſtituta citra fœdam macularum eruptionem, juvante D. O. M.

Exempla autẽ eorum in quibus eſt ἀδόκιμος νοῦς. I. mens perverſa, quæ non regitur luce & affectu temperato, ceu Satanę mancipia prętenire malui, quod triſtis ut plurimum eventus eos ſequatur, licet quibuſdam ex conſternatione animi & culpę erga Deum immortalem verâ recognitione proſper extiterit;

terit; quia cum ſtudium internecandi ſeſe adfuit, nominum eorundem innominatæ plebis nullam mentionem facere propoſui, licet major pars ſanitatem recuperarit, non ſine macularum fœdarum impreſſione & reliquiis, quod ab auripigmento. I. Arſenico luteo aſſumpto ad ſexmenſium fermè ſpatium miſeros occupavit.

III. *Cuſtojour Eques Lemovix* Regis Galliarum & Reginæ Matris nomine in Belgio Legatus anno 1625. ob Colicam paſſionem à bile graviſſimis ſymptomatibus conflictatus, frigidam præ ſiti fermè inextinguibili ingurgitare avebat; quod cum recuſaremus, ſeſe hydropotam naturæ ſympathiâ & uſus frequentiâ declaravit. Præmiſſo itaque enemate, & quæ ejus generis morbus requirebat; aquam putealem (cum fontana deficeret, cui potus generi à tenerâ ætate aſſuetus fuerat) voluit ſibi porrigi: Nobis vero, Experientiſſimo nimirum Medico D. *Ioſepho Buoeno* Luſitanæ nationis, & mihi in mentem venit Ægrum jugiter viſitantibus, potabilem aquam Coctam frigidamque è nuce noſtrâ Maldivenſi propinare dantes conſuetudini & ætati, ſecundum dogma Hippocraticum quantum per artem licet. Quo facto ſanitatem adeptus eſt doloribus atrociſſimis fugatis, & à Mordexi. I. torminum morſibus liber factus.

IV. *Idem Eques* capitis pertinaciſſimo dolore infeſtatus anno 1626. poſt proviſionem ab indicatione factam, clyſtere & ſanguinis detractione uſus noſtro conſilio, ex Medicâ nuce manum quaſi Dei pœoniam præſtolatus eſt. Cui inſuper ſyrupum è cochleari deglutiendum præſcripſimus.

℞ Syrnpi de ſucco bethonicæ ℥ iiij. pulv. Medullæ & Nuclei Maldivẽſ. ana ʒ j.ß. F. Mixtio pro ſex doſibus biduo abſorbendis. Cæphalæâ in exilium ablegatâ & ophthalmiâ quæ ut graviſſimum ſymptoma, lucem diei aut candelæ ferre eum non permittebat, præ gaudio, ſaltu, & cantu Gallorum juverum more, animi alacritatẽ recuperatâ ſanitate manifeſtavit.

V. Deni-

V. Denique anno 1627. veris initio, idem *noſter Heros* ex multijugo & inſatiabili eſu fragorum frigidâ aſperſorum cum ſacchari pulvere, nihil vini in temperamentum admiſcens, ventriculi tonum ad atoniam omnimodam deduxit, & monitis noſtris haud obſecundanti, toto habitu mutato cachexia pituitoſa ſubſequuta eſt, atque ita temperamento qui fuerat ſanguineo præditus in hydropem mediante cachexia, curabilem quidem, incidit. Tandem ad ſacram Anchoram ſeu ſcyphum noſtrum confugere, ut liberaliter potare poſſet, voluit; quod veriti, ne bibendo ſibi officeret, recuſavimus. Æger interim impatiens, nobis valedictis, æſtatem morbi ſui curatricem fore exiſtimavit. Interea vini uſum & potum dubiâ adhuc & creperâ valetudine ſupra omnem modum aggreſſus eſt, & tremoribus convulſivis, paralyſeoſque prodromis imprimis Hæmiplagiâ affectus eſt; tandem Epilepticis inſultibus fermè quovis momento percuſſus in terram, proſternebatur. Convocatus denuo, deſperatis licet rebus, deveni ad Elleboriſmum, ex Ellebori nigri veri totâ plantâ chymicè apparatum, conſentiente ornatiſſimo Doctiſſimoque D. *Theodoro Schuttio* Amesfortii Medico Practico; nec non magiſtralia ex Maldivenſi noſtra Nuce propinavi; quæ ante Epilogum hiſtoriis recitatis aliquot, ſubjungo. His præſtitis omnibus, prorſus in integrum reſtitutus fuit.

VI. Æger quondam meus *Tongerloo* P.M. Cives Amſterodamenſis, dum decumberet & febre laboraret acuta, obtulit mihi intermedii corticis ſeu integumenti interni cruſtacea aliquot fruſtula, voluitque eorum dragmæ pondus apud Pharmacopœum potioni ſudorificę Theriacali a me præſcribendæ immiſceri. Id quod ego iniquius ferens, cum mihi ignotam prorſus rem obtruderet, medicamentum pro rei exigentiâ exhibenti, reſpondi, me non induci poſſe ut admittam hunc medianum & intermedium corticem, quin alicujus in Medicâ facultate præſtantis practici auctoritatē afferret:

retulit ſalutarem ſemper eventum fuiſſe in febribus acutiſſimis, quibus laborarat, cum in Indiâ Orientali degeret, & imprimis in difficultate partus eſſe Indis fœminis probatiſſimũ. Interim impulſus ſeriis monitis curavi quod poſtulavit, & fœliciter miti paroxyſmo, febris terminavit, & me majore parte corticis ſuperſtite donavit; quâ miſellis parturientibus, (ſenis ad minus) opem ſubinde tuli, cum Creatoris ſummi laudibus. Huc ſpectant exempla duo ornatiſſimi ac doctiſſimi *Ioannis à Grol* M.D. & Collegæ noſtri, quæ reticere non volui; & ita ſe habent.

VII. *Bernhardi à Lunnickhuyſen* aurifabri honeſtiſſima uxor in plateâ vitulinâ, cum triduò parturiendi doloribus cruciaretur, & fermè totam viciniam clamoribus impleret, exhibitis exhibendis, nihilque proficientibus, ab aſſumptâ Cocci Maldivenſis Medullæ ſemidragmâ exſyrupo & aquâ Arthemiſiæ exhibitâ, fœliciſſimè peperit.

VIII. Ejuſdem Nucis raſura eodem modo propinata mirum in modum acceleravit *Annæ Guilielmi* filiæ *Ioannis Calcearii* uxori excluſionem demortui fœtus: huic ab Obſtetrice imprimis, dein à nobis poſt exhibita varia & admota incaſſum, perſeverantibus graviſſimis ſymptomatibus à febre ortis, tandem ad ſalutarem hanc Panacæam Maldivenſem confugimus. Et breviſſimo intervallo fœtum in utero materno extinctum Natura excluſit, quem magno cum gaudio excepit obſtetrix.

IX. In eadem viciniâ uxor *Georgii Nauwingii* Acupictoris, viri humaniſſimi & perquam induſtrii ipſis Maij Kalendis me vocari juſſit, voluitque ſibi è Cocco Maldivenſi Medicinam apparari, mota fœlicibus ſucceſſibus ægrè parturientium vicinarum, quibus aſſuerat cum Collega meus Medicinam Maldivicam adminiſtraret. Verum tridui ſpatio elapſo ruptis membranis ichoroſus ſuccus excuſſus erat, atque fæminei fœtus πτωμάτιον foras exceptum ad necroſim perductum non

fine

ſine maximis anguſtiis annoſiorem puerperam ad mortis limen vocarat papaverculo jugiter fermè muliebria fœdante. Ego rogavi obſtetricem num aliquid ab illa præſtitum aut exhibitum eſſet, quæ animo ferme deficiens, ajebat ſeſe ſpem in anchorâ ſalutari Maldivenſi locaſſe, neque aliud apud illam ſupereſſe parturitionis votum, cum triduo fœtus certò certius extinctus &præter naturam ſitus videretur. Venimus ad hauſtulum hunc poſt anxietatibus turbatam alvum liberaliſſimè, bonis avibus: exhibentes. ℞ Putaminis & Medullæ Mald. utriuſque ℨß Diaſcordii Fracaſtorii ʒ ij. aq. Cinnamomi ʒ iij. Borracis & Trochiſcorum de Myrrha ana ℈ j. ſ. cum aq. fœniculi. Potionem hanc ad duas doſes præſcriptam Ægra moræ faſtidio impatiens facta, unâ doſi aſſumſit, & forti animo prẹter expectatum enixa eſt, demortuum infantem, grandem decem ad minus librarum pondere, una cum puerperalibus: & gaviſa maximoperè cum laudibus Magni Parentis, qui tantarum virium advenam Maldivicum donaſſet.

X. Illuſtriſſimus *Princeps de Guiminet Ducis de Monbaſon* filius, Amſterodami anno 1625. æſtate mediâ incidit in dyſenteriam, quâ miſerrimè excruciabatur. Ego primus vocatus præſtiti, quẹ ars & res poſtulabant; quatuor deinde convocati Medici ſunt, quibus ab Amicis in tanto morbi furore perſona illuſtris, pro juſtiſſimis meritis commendata erat; quod etiam illuſtris *Mauritii Principis* cura effectum, cui conſanguinitate junctus erat. Ita ut non defuerimus omnis generis prẹſidia ẹgro Principi, & auxiliares manus afferre, & juvante Medicorum ſummo Medico reſtituere ſanitatem. Hic Æger ſummoperè exhilaratus, cum vidiſſet noſtrum monile Maldivicum tam ſpecioſum, jam paulatim convaleſcens, voluit ſuam hordeaceam, qua vinum rubellum dilueret, eo contineri & ſibi exinde bibendam dari; quod recuſare nulla ratione potuimus, poſtquam novitate rei pellectus & ſpe reconvaleſcendi accenſus nobis videretur. Itaque cum re-

liquiis morbi, ventriculum & inteſtina roborando, adeò ſtrennuè pugnatū eſt, ut brevi ſanitatē priſtinam recuperarit.

XI. Generoſus *Dominus des Gouttes* Eques ordinis Melitenſis, in Cardialgia anno 1627. pluries excellentiam pulveris intermedii corticis & raſuræ nuclei eſt expertus, ex conſervis roſarum rubrarum, aut florum Tunicæ hortenſis, Lavendulæ, Pœoniæ & Meliſſæ; prout res & occaſio requirerent.

XII. Nuperrimè *viri annorum viginti ſeptem Dordraceni* intricati morbi negotium, nobis anſam præbuit ad Medullam Mald. Cocci confugiendi, cum omnia viderentur fruſtra applicata & exhibita. Vocatus ego & Cl. D. *Tulpius* Collega noſter, repperimus in ætatis flore & poſt laudatiſſimam temperiem ægrum, qui primis binis diebus Spaſmo compoſito, ſeu tremoribus convulſivis truculenter afficiebatur, ac dein ſingulis fermè horis poſt præludia modò in articulo pollicis pedis ſiniſtri, modò pollicis dextræ manus prodroma, conſtante perpetuo mente, membra omnia conquaſſari ille ſenſit, & nos vidimus toto fere biduo. Sed quicquid a nobis tentaretur, pro ratione temporis ſucceſſivè, id omne à morbi & ſymptomatis ferocia ſuperabatur. Tandem cum non eſſet derelinquendus, ad ſpecifica occultæ proprietatis devenimus, dantes ex ſimplice cereviſiâ dragmam unam medullæ ſupraſcriptæ in pollinem redactæ, hauſtulo vixdum ebibito, continuit ſeſe perquam quietè, & ſomno ſuperveniente ſudoribus copioſis toto corpore maduit; neque uti ante morbitā gravis ſymptomate oppreſſus eſt, verùm leviculis, ubi expergiſceretur, præmonitionibus incitatus ab articulis in manu & pede altero; quo interim tempore quietem ſibi ipſe imperare poterat, & reſiſtere ſimul huic venienti malo. Quare quater iteravimus hauſtulum, & uſualibus ac ſpecificis pulverem Medullæ immiſcuimus, & adeptus eſt ſanitatem. D. O. M. ſit gloria.

CAPUT

## Caput XIII.

MAgiſtralia Compoſitiones noſtris Officinis vocantur, quę ex diverſis ſimplicibus paulò accuratius cōſtruuntur; ut plurimum eæ, quæ Antidotariis publicis receptæ non ſunt, neque baſim ullam expreſsè agnoſcunt, & ex ſpecificis concinnantur pro arbitrio uniuſcujuſque Medici. Hoc autem loco eas tantum compoſitiones proponemus, quæ ex Maldivenſi Nuce concinnantur, ſolo pulvere Medullæ, nuclei, aut intermedii corticis interveniente. Res vero ſupervacua eſſet ſi horum pulverum alicui, aut omnibus ſimul menſtruum aliquod Chymicum, quod reſolvat, affundatur, ut inde Magiſterum formetur, veluti in margaritarum, coralliorum &c. præparationibus conſuetum eſt fieri.

Magiſterium enim eſt (dicente *Theoph. Paracelſo*) quod ex rebus extractum eſt, ſine ſeparatione & præparatione elementali, quod fit additione aliarum rerum. Vide Archidoxa de magiſteriis. Quandoquidem horum pulverum indubitatum ex tota ſubſtantia commodum expectatur. Non autem opus eſt, ut hiſce immoremur, exemplo Bezoartici lapidis edocti, qui ventriculum ingreſſus à ſuccis acidulis ibidem contentis & calore nativo ſolvitur, ut quam primum operationem ſuam proſequatur. Noſter enim pulviſculus eandem quoque ſubit alterationem citra magnum moræ diſpendium, & ab iiſdem ſuccis & calore fermentatus in actum ducitur.

Hac autem ſerie pro rei exigentiâ Medicus præſens induſtriè diſponat, habitâ ratione præcepti noſtri capitis initio duodecimi a me memorati.

Cocci Maldivenſis Medullę, pulveri, ut & putaminis, nec non corticis intermedii. Dragmę unius põderi admiſceri poterunt.

- I. Syr. de bethonica, violaceus, capill. veneris, infuſ. Fl. Tunicæ, Iulepus roſatus, limonum, de alth. Fernelii, borraginis, è ſucco citri, è ſucco Card. ſcabioſæ, granatorum, Myrtin. de Mentha &c. ℥ j. s pondus.
- II. Aqua Cardui bened. menthę, meliſſę, portulacę, acetoſę, arthemiſię, Boraginis, Bugloſſæ, Ruthę, flor. Tiliæ, roris ſolis, Roſarum, agrimoniæ, florum liliorum convallium, primulæ veris. Vel decoctum ex hiſce. ℥ ij. aut circiter.

Atque ex hiſce ſimpliciſſimam medicamenti è Cocco compoſitionem colligere eſt.

*Immiſcetur porrò compoſitis.*

- I. Opiatis { Theriacæ, Mithridatio, Diaſcordio } Paribus doſibus cum aquis & ſyrupis requiſitis.
- II. Pilulis { Cæphalicis, Stomachicis, Hepaticis, Pectoralibus, de Cinogloſſa, & Ladanis Chymicis, } Doſibus juſtis.
- III. Conſervis, { Cæphalicis, Cardiacis, Pectoralibus, Hepati, Ventriculo, Veſicæ, } dicatis.
- IV. Electu.
  - Solidis, { Rotulis cum pulver. El. Cordial. Reſtaurantib. ſiccis e cochleari.
  - Liquidis, { Conf. Alkermes, Conf. Hiacynthorum, } paribus doſibus

Ex ſim-

Ex ſimplicibus præterea ſpecificis & Alexipharmacis ſeligere licebit ea quę prudenti Medico ad conſtructionem Bolorum, Electuariorum, Rotularum ſeu Tabellarum facere videbuntur: quibus Medullæ Cocci Medici, corticis intermedii, & ipſius putaminis pulviſculus adjungi poſſit. Veluti ſunt.

Acetoſæ ſemen deglubatum, quod piſtillo ligneo in marmoreo mortario præſtatur à religioſioribus pharmacopœis,

Ambræ griſeæ grana tria quatuorve,

Antithoræ radicis pulviſcul. ℈j. Vide Ant. Guainer. de peſte.

Bolus Armenus verus,

Bezoarticus Lapis utriuſque Indiæ.

Biſtortæ radix.

Cornu cervi prępararum ut infra docetur.

Cornu Aſini Indici cujus præconia C. Barthol profert.

Cinnamomum electum.

Cariophyllon Plinii. Quodſi veterum dixerim eſſe Amomum, non multum aberrarem: alibi.

Caſſia lignea.

Croci ℈j. non ultra.

Ceraſorum dulcium nuclei.

Drakenę radicis pulveris ℈j. vocatur Contrayerva.

Ebur nativum & foſſile. videatur C. Bartholin.

Hiacynthus gemma. pondere ℈ß præparatus.

Ligni aloës ℈j.

Lapilli pretioſi fermè omnes præparati pondere ℈ß. quales ſunt Topaſius Rubinus, Granatus, Saphyrus, &c.

Moſci Orientalis grana ij. aut iij. ſit doſis.

Monocerotis cornu præparatum. ut infra dicetur.

Margaritæ præparatę vulgari modo.

Marga ſelecta ſeu Bezoar minerale. Vide Bauhin.

Pœonię maris radix, ejuſque ſemen mundatum ʒß pond.

Petaſitidis radicis pulviſculi ℈j.

Perſici

Perſici nuclei.
Smaragdus ad ℈j.
Santalum citrinum.
Scurzoneræ radix.
Scordium.
Rhinocerotis cornu. Vide Ant. Schnebergerũ in Cat. Med.
Terra Lemnia.
Tormentillæ radix.
Tiliæ florum pulviſculus.
Viſcus quercinus.
Ungula alcis exhibita & adplicata.

Adverbia porrò tria *Citò, Tutò, Iucundè*, plus opis & auxilii præſtabunt quam tres inſtructiſſimæ officinæ. Ego ingrata omnia illubens immiſceo alexipharmacis, cum *tutius* & *jucundius* ſuavia quam βαρυόδμα operētur, & cordi robur potentius afflent. Porro venenum aſſumptum, aut ejus ſaltem ſuſpició, dilationem, minus quam ventur famelicus, imo nullam patitur. Quare quod præ manibus eſt quam *citiſſimè* in uſum vocandum. Simplicium autem memoratorum quibus ponderis ſignum additum eſt habenda ratio, cum doſim unam tantum hoç nomine intellexerim. Cæterorum verò in doſi non peccatur.

Formularum porrò magiſtralium diverſitatem adnecto.

*In Capitis vitiis gravioribus, uti & nervorum, Epilepſiâ, Paralyſi, Convulſionibus, Tremoribus crudelibus &c.*

℞ Pulveris Medullæ Cocci Medicæ (utpote potioris partis ʒj. Confectionis Alkermes & Hiacynthorum ana ʒß Viſci querni & ungulæ alcis ana ℈j. cum Syr. de Stœchade, Bethonicâ, aut julepo roſato F. Bolus una vice aſſumendus & repetendus ubi viſum fuerit.

Aut F. Potiuncula cum aq. meliſſæ, & Syr. limon, &c. ſeu con-

conditum magiſtrale cum ſyrupis & conſervis cæphalicis & pulveribus.

*In dyſenteriâ cruentâ, & torminibus: factâ ante proviſione debitâ per Rhæum & clyſteres.*

℞ Corticis intermedii Nucis Medicæ ʒ j. (ſi deſit, Medulla aut Putamen vicem ſuppleat) Terræ Lemniæ, lapidis Bezoartici Orientalis & Biſtortæ radicis ana ℈ j. Syr. de ſucco portulacæ parum ad conſiſtentiam Bol. F. & inſuper adjectis reliquiſitis condîtum, Potio, & ſimilia.

*In difficili Partu.*

℞ Pulveris Medullæ aut corticis intermedii, aut putaminis ʒ j. Borracis ʒ ß. Caſſiæ ligneę aut Cinnamomi ſelecti ℈ j. Croci Orientalis & ambrę griſeæ ana Grana quinque. Syrupi de Arthemiſiâ ℥ j. decocti radicum Tormentillæ aut Caryophyllôn Plinii q.ſ. F. Potio.

*In Peſte & Febribus malignis Contagioſis.*

℞ Cocci Maldivenſis ʒ j. Seminis Acetoſæ mundati ℈ j. Syrupi è ſucco granatorum acidorum, aut ſcabioſæ, aut florum Tunicæ ℥ j. Diaſcordii Fracaſtorii ʒ j. Decocti radicum petaſitidis, ſcordii & ſcurzoneræ aut aquarum borraginis, bugloſſæ q.ſ. F. Potio.

*In Coli doloribus & aliis Inteſtinorum vitiis.*

℞ Medicæ Nucis noſtræ quantum in præcedentibus dictum eſt (ea enim doſis eſt concinna) Methridatii Damocratis ʒ j. s. pulver. Drakenæ radicis & nucleorum perſici mali

H aut

Digitized by Google

aut ceraſiorum ana ℈ j. Syr. de menthâ majoris ℥ j. Decocti aut Aquæ Meliſſæ, Ruthæ, aut ſimilis q. ſ. F. Potio.

*In Veneni aſſumptione variæ formulæ pro natura veneni.*

1 ℞ Ol. Amygdalarum dulcium rec. expreſſi ℥ j. aut ℥ j. ß. Lactis ouilli aut Vaccini aut Caprilli ℥ V. pulveris Eboris nativi, aut foſſilis, aut præparati per vaporem Cordialium ʒ ß F. Potio cum ʒ j. Cocci.

2 ℞ Theriacæ & Cocci Maldivici ana ʒ j. pulv. Bezoartici Occidentalis, aut mineralis, ſeu margæ ſelectæ ʒ ß aquæ aut decocti Cardui benedicti q. ſufficit. F. Potio.

3 ℞ Pulveris noſtri Cocci cujuſ-tandem-cunque partis ʒ j. pulv. Smaragdorum aut è pretioſis quinque ℈ j. Emulſionis ex frigidis ſeminibus, amygdalis amaris ſ. a. aq. florum Tiliæ factæ ℥ V. F. Potio cum Syrupi violati ℥ j. ß. ad ſaporis gratiam & mitigationem. Hactenus.

*Hiacynthorum Confectio noſtra, huc ſpectans.*

Verè cardiaca, comprimis utilis: cujus dragma una commiſceri poteſt pulveri noſtro, Cocci Putaminis, medullæ aut corticis intermedii.

Hujus autem accuratam excerpſi ex Mercati, Venetorum & Montiſpelienſium Antidotariis deſcriptionem, noſtræ patriæ aptatam & a D. D. Collegis meis omnibus approbatam & Antidotario ſpeciali noſtro aliquando inferendam; cujus ſpecimen Doctiſſ. *N. Fontanus* Collega noſter anno præcedente exhibuit.

℞ Hiacynthorum præparatorum. ʒ vij

Boli veri Armeni, Coralliorum rubrorum præparatorum. Terræ Lemniæ. Bezoartici lapidis orientalis. Smaragdorum

Digitized by Google

rum. Rubinorum. Granatorum. Saphyrorum. & Topaſii, præparatorum ana ℥ ij.

Coriandri præparatorum aceto. Cortic. rad. pentaphylli. Tormentillæ. Coralliorum alborum præparatorum. Ligni aloës præſtantis. Granorum Kermes. Spodii præparati. Rad. diptami. Sem citri mundati. Roſarum rubrarum ab unguibus purgatarum. Rad. Cariophyllatæ odoratæ. Summitatum ſcordii. Cariophyllorum. Seminis acetoſæ mundatæ. Portulacæ. Florum bugloſſæ. Violarum. Raſurę Eboris. Sem. Endiviæ. Margaritarum præparatarum. Cornu cervi citra uſtionem præparati. Santali Rub. Albi. Citrini. Radicum ſcurzoneræ. Carlinæ. Oſſis de corde cervi, & Vincetoxici ana ʒ j. s.

Caphuræ. Ambræ griſeæ, & Moſci orientalis ana ℈ ß. Bractearum auri numero XXX.

Syrupi de ſucco Citriorum aut Limoniorum q. ſ. aut ℥ xxiv.

F. Confectio.

Hæc tempore æſtatis à fermentatione, quæ menſis ſpatio peragitur, ſyrupi præſcripti Unciarum trium aut circiter augmentum requirit, & vitreo vaſe adſervatur, citra ſitum aut ullam corruptelam.

## CAPUT XIV.

Atque hæc officinæ artificiis ad habilitatem idoneam transferuntur; quæ ſequuntur naturę ipſius induſtria commoditatem ferè acquirunt. Obſervatu enim non indignum, quod a Ruſcię Imperatore quodam, ante annos forte centum, dens Elephanti multis Alcis coriis circumvolutus, & conſutus, terrę gremio commiſſus eſt; Cujus tandem copia (caſu ita ferente) huic Imperatori facta dicitur; qui fundamina ædium in Regiâ ſuâ jaciens Theſauro ſe beari credebat, cum erueretur multijugis autem coriis hic

ſolutus Theſaurus, dentem aperuit librarum forte quadraginta; cujus oſſea prius & quaſi lapidea (qualis dentium eſt) ſubſtantia, tota fermè converſa erat in Medullæ compagem ſaxorum margæ non abſimilem, dentibus friabilem atque manu ſolubilem; denique in Bezoartici lapidis ſubſtantiam Medicinæ aptam. Quibus gaviſus Imperator, & poſteritati eodem munere proſpectum volens, novum ejuſdem rei experimentum conditorio facto ſumere ſtatuit. Accedit & hoc, quod in Boruſſia in ſummis cereviſiarij ædibus cornu cervinum fuit repertum, cujus ob continuum quinquaginta circiter annis vapidi halitus afflatum, cornea durities in mollem & pulpoſam verſa erat. Ita experiundi & Medicinæ dotes inveſtigandi anſam caſus præbuit; etſi non ſemper lubrica ſors ſe interponit, poſtquam Naturæ potentia limitibus nullis circumſcripta, in perficiundis miraculis nunquam ignaveſcit. Sed hæc Naturę effecta, multo ad maturandũ tempore opus habentia, artis adminiculo, velut præcocia, reddi queunt, ſi legitimâ adminiſtratione opus inſtituatur. Quod ſequenti exemplo documentum invenit, quo oſſa, cornua, dentes, trium ſeptimanarum ſpatio in aliam ſubſtantiam verti poſſe declaratur. Modus autem accelerandæ præparationis, ſequentium digeſtu apparet. Oſſa enim, Cornua, Dentes, Craneum, ſcilicet humanum, Lapides è piſcis Phocæ aut Manati capitibns, & Balenæ inſtrumentum auditus, Lapideæ prorſus duritiei, quod à formâ Anatomicis concha aptè dicitur; ea, inquam, Caput Alembici filis æneis conſtringere debent, ut firmiter inhæreant. In Veſicam verò ſubjectam induntur cardiaca, velut Meliſſa, Mentha, quælibet denique herbæ, & flores aut ligna odorata; quæ juſtam aquæ multitudinem nacta ea cautione locari debent, ne alembici interiorem partem ebulliendo contingant. Ignis vero continuo alimento fovendus eſt, ut in opere hoc nullo moræ interpoſitu perpetuari poſſit. Ita totum tranſlationis in aliam ſubſtantiam

tiam negotium trium Hebdomadarum ſpatio abſolvitur; & quæ ob duritiem contumacia reddebantur, in teneram compagem tranſvecta cernuntur. Cujus ſecreti tanta hactenus majeſtas fuit, ut participes futuri juramento ſe obſtringere coacti ſint, nunquam illorum operâ myſterii arcana in lucem ventura.

## CAPUT XV.

LEctorem diutius detinere non fert animus, cum quæcunque curioſo naturalium rerum indagatori non minus ac Medico Theorico & Practico ſufficere valent, pro viribus meis obtulerim; & proſperè ſemper quaſlibet Cocci Maldiv. in morbis exhibitiones aut præbia (ut cum Feſto loquar) evenire animadverterim, Dotes illius non ſolum efficaces admodum, ſed etiam tutæ, admirabiles incredibileſque celebrantur. Quare verâ cum gloriâ prędicare non dubito, Antiſtitem Alexipharmacorum Coccum noſtrum eſſe, experimentis indubitatis non fallacem. Quę ſtentoriâ voce ex veritatis ſuggeſtu deprompta à me cum dicantur, nemo conſternato animo eſſe debet, velut pueri vocum terriculamenta exhorreſcere ſolent, poſtquam facilis ad fidem acceſſus in rem eunti pateſcit. Jure autem merito dixerim Cocci noſtri maris accolæ, & velut novi coloni acceſſu, rei medicamentarię pomeria immenſum dilatata ornatius ſplendere. Quod ipſum ſi de Ephemero Inſecto affirmem, nulla veritati laniena inferretur; Etſi ob veneni pervicaciam minus tuta illius adminiſtratio eſt, in morbis pręſertim & tędiis viſcerum internis, in quibus ſummâ cautelâ magis ut deſeratur, quam ut applicetur, opus habet. Nam in externis ad explorationem non adeo intuta experimenta offeruntur. Sed Ephemerus noſter in aliud diarium transferri debet, poſtquam pręſens laboris noſtri peculium eſt, Cocco nominalia ſua & luſtricum diem ſtatuerę.

ſtatuere. Quod ſerotino quidem ſtudio aggredi contendo, ſed non contemnenda ratione impulſus. Quippe leviculâ nominis explicatione operis frontiſpitium obſidere non volui, dum majoris momenti res ſe calamo noſtro ingererent, in quibus Medicus & Naturę indagator ſolers, non grammaticus, aut locutilejus oſcitabundus, armos ſuos experiri poſſet. Palma Coccifera Indica, non fuit veteribus nota. Videatur Clariſſimus *Salmaſius* qui rationes affert, Pag. 1321. exercitationum Pliniarum. Indi nucem Indicam vulgarem *caré* & ſubinde *Cocoibne* & *Coc* vocant; quod nomen Luſitani ſyllabæ augmento bearunt. Hiſpanico enim flexu Cocco eam indigitant. Sed neque rationis expers appellatio eſt; quippe ideo huic fructui nomen hoc dederunt, quod tria foraminum veſtigia in ſummitate perpetuo monumento conſervat, quibus Cercopitheci aut ſimilis animalis faciem repræſentat, quæ oculorum cavis atque oris rotunditate diſtingui ſolet. Quod ipſum Garciâ adſtruente roboratur, qui hac Etymologiæ ratione commentum ſuum defendit. Minus firmum vero eſt ideo nuci vulgari (cocco) nomen datum eſſe, quod ſimia talis ſoni vocem gutturis applicatione, præcipuè irritata, promere ſolet. Si enim ne ipſa quidem ſimia ob hanc vocis articulationem coccus nuncupatur, iniquius in fructum, qui foraminum modo veſtigiis ſimiæ aſſimilatur, onomatopœia hæc transferetur, ſed quid diutius quam par eſt, circa hanc levitatem diſtringimur? poſtquam ex Græcorum armario vera nominis ratio derivari poteſt. Κόκκος enim illis non omne granum, ſed rotundum aut ovi formâ effigiatum denotare ſolet. Etſi *Ant. Nebricenſis* in Dictionario ſuo Latino-Hiſpanico affirmat generali ſignificatu granum ita deſcribi. Qui Vir Gręcarum literarum cum Latii ſecretis experientiſſimus fuit, unico in fidem vocando Iuvenale, cujus ſatyras commentariis ſuis olim illuſtriores reddidit. Quo verborum complexu definiri poteſt, Cocci nomen ex Græcorum abundantiâ ad

tiâ ad Latinorum penuriam derivatum eſſe. Aquitani *Cocco del you*, *ou eſcrovello*, oui putamen aut corticem, & *Cocco in grano*, excrementum illud Ilicis bacciferæ, granum infectorium κόκκον βάφικον vermiculis etiamnum prægnans vocitant. Κοκκαλοι nuclei pini indigitantur. Ricini grana χολήγηκκα dicuntur Græcis quod bilem evacuent. Hæbreorum *Coac* quaſi *Cac* Coccum denotat, referente *Guicchardino* in Harmoniâ Etymologicâ ſuâ. *Care* fructus ſeu Coccos inſularibus Mald. eſt nuncupatus; quid *Tauar* ſignificet ignoratur: Si noſtra Nux Medica *Tauarcaré* in Tamarcaré mutari poſſet Coccorum palmam denotaret per excellentiam unius literæ mutatione. Coccorum arbor ut & dactylorum Palmæ denominationem habent, ut Principes inter congeneres: Palma autem quaſi Parilema à pariendo nuncupatur. *Varrone* teſte & *Carolo Stephano* in Vineto ſuo, pag. 5. Gemma ὀφθαλμός Botanicis autoribus oculum & germen ſignificat, tranſlatione à Lapillis pretioſis. Germen interim dupliciter accipitur; primò ut Gemma quæ ſolubilis è carne Nucis eximi poteſt, quam *Pyrard* Gallicè *l'amande*, totam nempe medullam, vocitat; Secundò ut apex Palmæ vulgaris. Garcias Indos dicit Palmarum germinibus veſci, quorum collectio præcipuè fit cum cæduntur arbores ad ædificia fabricanda, ut eſui ſint. Expetuntur & dactiliferarū à formicis teſte *Plinio*, cum jacturâ arboris, quia non ferunt decacuminationem, gratiora longè ſunt palato quam aut Caſtaneæ molles, aut humiles Palmæ, quas vulgo *Palmites*, Itali *Cephaglioni* vocant. Quo etiam vetuſtior eſt Palma, eò tenerius & delicatius germen producit; at eo ſublato perit Palma. Hinc fit, ut qui hujuſmodi germen edit, non immeritò Palmam vorare dicatur. Datur teſte *Pyrardo* ſpecies quædam Palmæ ſeu nucis Indicæ præter vulgarem; cujus primitivus fructus ad inſtar Pomi noſtratis totâ ſubſtantiâ edulis, teneritate & ſuavitate acceptiſſimus; verùm inventu rarior & quantò antecellit vulgarem

primis

primis incrementi menſibus, tantò ubi maturitatem conſequitur, deterior & ineptior uſibus. *Molluſca* ex ſententiâ *Ruellii* Maſſiare ac teneriore carne fructus dicitur, aut malum cum primum fugax, quale Perſicum eſt. *Geſnerus* nucem molluſcam inter juglandes ponit quæ molliore eſt putamine; quod amygdalis quibuſdam etiam familiare, cùm ex leniſſima digitorum compreſſione frangantur. Et quandoquidem hęc ſola *Pyrardi* inter Indicas nuces putamen ipſum molle & veſcum habet, mihi in Lexico Botanico meo bilingui necdum evulgato *molluſca* cognominatur: è contra *Moracia, Moracilla*, vulgaris Indica Nux, propter durum putamen, à frangendi morâ. Palmarum quotquot ſunt ſpecies exhilarantur flore; ſecus ac triſtes arbores quæ ſine eodem, annorum gaudia non ſentiunt. Flos vulgaris luteo fulget colore, magnitudine fructui æqualis. Quid autem de Maldivenſis Medicæ flore dicendum ſit, adhuc ſub Iudice lis eſt, poſtquam nulli plantam & florē vidiſſe contigit. Impellor ſubinde ab amicis ut Mald. minorum ſpecies aliquot proferā; quia fama percrebuit, apud plurimos noſtrates, qui in Indiæ diverſis locis vixerunt, dari varietatem aliquam Coccorum, eoſque Maldivenſium titulo, fortè ob effecta aut faciem, beari volunt. Ego, ut verum fatear, non agnovi, neque in muſæo meo coacervavi fructus palmarum, aut Coccòrum congeneres, præterquàm quinos aut ſenos; quos tamen minus Maldivenſi conferre, quam murem Elephanto, comparare licet: quorum deſcriptiones præſentis laboris non eſſe volui. Exempli gratiâ Famigeratiſſimi *Mathioli* Cuciophora, nec non alterius Palmæ fructus, verè ſacciferæ, huc advocandi non ſunt quorum amborum & plurium præconia cum eiconibus mecum (ut ſpero) non moritura ſunt. Neque inconcinnè ad palmarum claſſem referendus fructus quem tabella exprimit Clariſſimus *I. de Laet*; duriſſimo & lignoſo putamine, quo duæ nuces continentur, mole pugni unius; nec non alter Totocke dictus cujus idem accur-

accurratiſſimam deſcriptionem profert, hujus autem fructus integri vicenis nucibus prægnantis iconem ſum exhibiturus brevi. *Theophraſti* verò, *Plinii*, *Abinzennæ*, *Serapionis* tam Medicorum quam Hiſtoriographorum atque etiam Neotericorum ſententiis ad amuſſim perpenſis, & ipſiſſimâ rerum indagine ſervatâ, penſum meum cum bono Deo abſolvere conor. Interim Pœonio Medicamēto noſtro Maldivico maxim operè utiliſſimo ſuaviſſimo, imo manui quaſi Dei opreantis, *tutò, citò, jucundè*, ſatisfactum pro viribus opinor.

---

AD CLARISSIMUM MEDICUM

# D. AVGERIVM CLVTIVM, T.F.

## Amicum noſtrum & fautorem ſingularem, in Nucem ejus Medicam & ſimilis generis alias.

### *ELEGIA*,

CASPARI WACHTENDORPII.

*Naturæ vires potius miremur, an artis;*
*Ardua ab antiquis quæſtio mota fuit.*
*Ex nihilo terram, cælos, animalia, plantas*
*Condere divini roboris hoc opus eſt.*
*Sed generi ſpecies ſupponere quaſlibet uni,*
*Et ſpeciem in ſpecies ſolvere id artis erat.*
*Hinc variant plantæ, variant animalia, fruges,*
*Vno diverſa nomine ſunt celebres.*
*Sic quoque* Nux C LUTI *varia eſt, non nomine, ſed re,*
*Vt neque conveniat pondus & ingenium.*

I *Verum*

Digitized by Google

*Verum lenta ſalix quantum concedit olivæ,*
*Vel glans juglandi, vel Saliunca Roſæ,*
*Tantum alias* Malediva *nuces ſupereminet omnes.*
*Rarâ mole quidem, ſed magis arte tamen,*
*Rhetore nunc opus eſt, qui ritè recenſeat uſus,*
*Et memoret tantæ myſtica dona nucis:*
*Nam fugiunt ſtricti numerum miracula verſus,*
*Non hoc* Maronis, *ſed* Ciceronis *opus.*
*Conſtat in auxiliis nullum præſentius eſſe*
*Quando peſtiferum viſcera virus habent.*
*Cætera non dicam; a doctis & principe Princeps*
*Digna legi & Pindi nobiliore Choro.*
*Non ego non alius poſſet, neque tota vetuſtas*
*Dicere quæ vires ſint, vel origo nucis.*
CLUTIUS *hanc primum didicit, ſatagitque docere*
*Ignotam toto quæ fuit orba prius.*
*Sed neque adhuc tanto noſci potuere magiſtro*
*Omnia tam rara munera rara nucis.*
*Patria neſcitur, ſi non ſit Patria Pontus,*
*Quippe mari medio nare reperta fuit.*
*Iuglandem docuit* Mithridates *pellere virus,*
CLUTIUS *hanc monſtrat plura valere nucem.*
*Id circò æternum ſcribendo vivet in ævum,*
*HæC qVoqVe poſt VItaM VIVere VIta DabIt.*

Digitized by Google

AUGERII CLUTII M.D.

*DE*

# HEMEROBIO

*Sive*

## INSECTO EPHEMERO,

*Nec non*

## DE VERME MAIALI.

*Opuſculum* II.

Coryphæo Medicinæ celeberrimo

D.NICOLAO PET. TVLPIO,

D. M. Senatori ac ſcabino *Amſterodamenſi*,

*Amico veteri colendiſſimo & Collegæ dilectiſſimo inſcriptum.*



Digitized by Google

# C. PLINIVS SECVNDVS NATVRALIS HISTORIÆ, de Inſectis.

## LIB. XI. CAP. II.

TUrrigeros Elephantorum miramur humeros : Taurorum colla, & truces in ſublimè jactus : Tigrium rapinas: Leonum Jubas : cum rerum Natura nuſquam magis quam in minimis tota ſit. Quapropter quæſo , ne legentes hæc, quoniam ex his ſpernunt multa, etiam relata faſtidio damnent, cum in contemplatione Naturæ nihil poſſit videri ſupervacuum.

*Et alibi ſcripturus de remediis quæ à diverſis animalibus accipiuntur, inquit.*

Neque enim dubitaverim aliquibus faſtidio futura quę dicentur animalia. At non Virgilio nefas fuit nominare Formicas nulla neceſſitate, & curculiones, ac

—— *lucifugis congeſta cubilia Blattis,*

Non *Homero* inter prælia Deorum improbitatem muſcæ deſcribere : non naturæ gignere iſta ; cum gignat hominem. Proinde cauſas quiſque & effectus , non res æſtimet. Libro XXIX. Capite I.

# Cl. V. D. D. TVLPIO.

S. P. *Cum multa Societatis humanæ vincula ſint, nullum tamen conſtrictius ligat, quam in gynacæo muſarum ſtudioſa indago, atque artis ejuſdem cultura. Te verò Cl. V. ad Aeſculapii ſacra educationis ſors provexit, ab unguiculis fere ſecretorum Medicorum inveſtigationi operantem, atque in ætatis flore, conſiliis lativagis polydædalum. Favit autem benè impenſus labor, & fælicitatis applauſus, ut in Medicorum grege familiam ducas, primi nominis artifex, trophæis ſanitatis recuperatæ undiquaque fixis. Quocirca publico ſuffragio Theatri anatomici præſes factus, Chirurgorum ruditatem eradicas, ſectionis inſtrumenta curiosè tractans; jam olim ſubſelliis Senatoriis dexteritate agendi inſertus. Quâ honorum periodo languor tibi non obrepit, qui Phyſicæ quoque arcana rei medicamentariæ jugiter copulas. Quam genii tui benignitatem ſubinde expendens, bene collocati penſi ergò laudare te ſoleo, velut humanitatis inſignia in abjecto jacere non patior. Quippe ad ægrorum culcitras tecum ſimul vocatus, omni officiorum genere me exceptum non denego, velut morborum indaginem non perfunctorie a te tractatum eſſe fateor, quare ſorti meæ gratulari ſoleo, quod albi tui ſpatia multis paraſangis occupavi, amicitiæ jura diligenter conſervans, ne divortii labeculâ hoſpitalitas cœpta contabeſceret. Quæ omnia ha-*

*ctenus*

Digitized by Google

*ſtenus animi tantum cancellis circumſcripta, ad opus evocare aggredior, memoriæ noſtræ fidum teſtem daturus. Mitto enim ad te ſucceſſivis horis elaboratas membranas, in quibus hemerobii inſecti peculia digerantur, ſui tamen generis inſignia tenentis, ne in cœtum illum transferatur, de quo* Plinius major *hanc aſſertionem profert.* Hipanis fluvius in Ponto circa ſolſtitium defert acinorum effigie tenues membranas, quibus erumpit volucris quadrupes ſupra dictæ (*Pyrauſtæ videlicet*) modo, nec ultra diem vivit, unde Hemerobios vocatur. *Sed neque inter eos adnumerari patior, qui in diem vivere dicuntur, unciatim genium defraudantes, aut qui labori metam diei præcipitatâ figere ſolent, non conticinium tantum noctis, ſed etiam adoleſcentis veſperæ crepuſculum contemnentes. Quid? quod ne Hemerobiis quidem iis accenſeri patior, qui ſcriptorum vilitate orbem conſpurcant, Fatorum decreto Rhombis & ſiluris aptiores, quam ut manibus eruditorum verſentur, aut alienas aures barbarie infeſtent.*

*Hoc unicum tamen cum noſtro Inſecto commune habere videntur, quod venenatâ Indole in eos arietare non ceſſant, quibus cerebrum palpitat & ſiniſtra mamilla ſalit, ut cum* Iuvenale *loquar. Hemerobius enim noſter genium quoque toxico plenum nactus eſt, circa ſuperficiem aquæ volitans. Velut Tippula ſuſpenſo gradu in eâ incedit. Quippe Naturæ indignantis pœnas timens, alas ab humore arcet; quem caſu ſi contingat impedito volatu piſcium eſca redditur unius*

*unius tantum lucis uſuram nactus. Sed hæc in præambulum aſtricta ipſo tractatu dilatantur, ut hîc logodædali kakozeliâ evagari neceſſe non ſit. Oculis vero tuis temperiem imperabis, ne candoris ſuaſu editum libellum, effaſcinare contendant. Officii enim noſtri apud te apparitorem eſſe juſſi; ut poſthumi agnoſcant, judicio amicitiam pactam, ſtudioſè ad canos uſque à me cultam eſſe. Si quid autem, Cl. Vir, inſcitia malo detortum invenies, humanæ imbecillitatis ſortem excuſare te precor; poſtquam nulli non vacillare annatum eſt, ut quadrupedes quoque ceſpitare contingat. Affectus autem in te mei ſpongiâ quicquid mendoſum videbitur, delere dignaberis. Ita animo noſtro ad majora curſum ſtimulabis, quæ hactenus in Muſæi latebris cum blattis & tineis rixantur: in quibus te cenſoriam virgulam aliquando verſaturum ſpero, ut omnia ad unguem perpolita in mundi theatrum prodire queant, in quo indignâ ſorte, plures mali quam boni viſuntur; quique aliorum ſcriptis Rhinocerotis naſum infligunt. Sin autem tibi gratum munuſculum cenſeri percepero, omnia ea accumplevi, quæ voto humano deſiderare quis audeat.*

Vale.

CAPUT

ciem me transferens, ut penicillo, quantum in re minus divulgatâ licet, accurato depingatur. Sed adminiculis ad hoc inſtitutum neceſſariis privari me video, qui præter paucula aliquot in Autorum ſpatiis annotata, nihil ſolidi aſſervo, quo animalculi genius elucidari poſſit. Quocirca ex penuria mea ad penu aliorum confugio; eblandiens ab Amicis Hemerobios, non ſolum repoſitorio aut pyxide clauſos, verùm & hiſtoriâ dilucidatos. Quippe ſpecierum collatione certam deſcriptionis fidem promere ſtudeo. Hemerobios autem ipſos manibus verſare, ſatis etiam mihi non eſt, qui indolem ſcire primâ ratione annitor: quam ex plebecula etiam, imo ipſo trivio haurire non pigebit, quò opuſculi noſtri ariditas fœcundari poſſit, Poſtquam *Hollerio* Chirurgiæ lib.2.capit.2. ,, tradente; Non turpe eſt per vulgus & aniculas profeciſſe. ,, Non enim puduit majores noſtros in multis remediis bru- ,, torum diſcipulos ſeſe profiteri. Sed acceptis è vulgo re- ,, mediis adhibenda ratio & rectus uſus, in quo ſumma artis ,, poſita eſt. Varia interim veterum ac recentiorum de Ephemero opinione commotus, de natura ejus ac formâ in fine atque ultimis capitibus ſeparatim agere inſtitui, præmittens quaſdam ſententiarum diſcrepantias ab amicis ad me delatas. Ideo admonitum volo Lectorem, ne quando aut *Ephemeri* aut Meywoꝛm fit mentio, ſtatim exiſtimet eadem eſſe animantia, neque etiam diverſa penitus. Vario enim ſignificatu & confuſâ appellatione multi uſi ſunt, lucem tenebris offuſcantes. Roterodamenſibus enim hoc inſectum volatile dicitur haſt ut & Dordracenis, aliiſque Moſæ accolis, apud quos tanta ejus frequentia eſt, ut adagium inde promanarit, ubi magna hominum confuges in unum ivit. 't Iſſer ſoo dicht als haſt/quaſi dicant, multitudine cum Hemerobiis certant. Sed illam inſecti luxuriem accelerata mors compeſcere ſolet, poſtquam brevem illi vitæ uſuram natura largita eſt. Ut hinc quoque veriverbii ſolemnitas derivata ſit.

ἐφημέρυ ζωή. 1. Ephemeri vita, quod iis accommodari ſolet, qui ſubitò pereant & emortualem diem natali vicinum habent. Sed hæc inſecti indoles in ſuam tribum referri debet, velut Ephemero quoque piſci ſua (ut ita dicam) familia aſſcribenda videtur. *Vincentius* enim Iorathæ auctoritate fultus, ait, piſcem eum ſine parentum complexu naſci & vix tres diei horas ſupervivere. Sed non hic ſe ludentis Naturæ prodigalitas ſiſtit, poſtquam fata etiam aliquot hâc nomenclatura celebrantur. Dioſcoridi enim Ephemerus duarum herbarum nomen eſt, quarum altera ita dicta, quod uno die interimat; altera quod una die flores amittat. Sed neque hic
„ meta eſt varietatis; quippe *Aelianus*, Ephemera, inquit, ani-
„ malcula unum diem vivunt: ex fœce vini aceſcente origi-
„ nem trahunt: aperto dolio ut luce ſuſcepta ſunt vitâ exce-
„ dunt. Vinulas eas vocat *Scaliger*. Ego vero tenebrarum alumnas nuncupaverim, quod lucidi aëris occurſum ſine vitæ internecione non ferant; in quo Naturæ omniſciæ vim admirari licet, quæ uno Fato damnata animalcula, variæ originis & efficaciæ ſorte beavit. Omnia enim brevem vitæ terminum nacta ſunt, quæ tamen non unâ facie atque indole annotantur. In quo verſicolori animalium occurſu prudenter ſe lector gerere debet, ne confuſis nominibus rerum quoque turba naſcatur. Quod in Botanologiâ quoque velim obſervari: veluti & in morbi Vareni deſcriptione & curâ, in quâ hallucinati ſunt, ut quadrare cum veritate non videantur. *Petrus Foreſtus* Avunculus meus poſt Lienis affectus, & Scorbutum libro XX. obſervationum & curationum medicinalium, *Henrico à Bra* Reip. Campenſis quondam Medico Hiſtoriam acceptam refert, morbi hujus novi & incogniti Weſtphalis, Geldris, & Friſiis quaſi Endemii ægros diverſis ſymptomatibus infeſtantis. Verum cum hoc ſit præter inſtitutum meum in Inſecti tantum examine ſubſiſto. *Caſparus Hofmannus* Med. Brandeburgicus, nec non *Ioannes Wierus* Clivenſis conſulendi

ſulendi, quibus morbi natura penitus obſervata & inveſtigata videtur, a me nedum comperta quod liberè fateor.

## Caput II.

Errorum parens eſt vocabuli aut rei alicujus vicinitas & ſimilitudo. Quare difficile eſt ex æquo vel affirmare veritatem, vel falſimoniam refellere. Nomina enim pro arbitrio hominum rebus induntur, quæ ipſa deinde cognominibus & agnominibus additis offuſcari ſæpe potuiſſe conſtat. Inſcriptiones autem nudæ aliquando non longè quæruntur, aliquando anxiè excogitantur. Quod ne quis ſine teſtimonio me dixiſſe arguat, Cape Cl. *Salmaſii* ſententiam in Plinianis exercitationibus pag. 1280. B. Unde igitur hæc indiſcreta nominum facies ad res toto genere diſſitas ſignandas? in pleriſque aliis Herbis Arboribuſque hoc caſu eveniſſe notavimus, ut nomen unum idemque duæ vel plures habuerint apud Romanos, cum tamen utrumque ex diverſa veniret origine. Apiaſtrum ut mentaſtrum & ocimaſtrum, ab Apio idem quod ſilveſtre apium, τὸ ἀγριοσέλινον. Apiaſtrum aliud ab apibus dictũ μελισσόφυλλον, ὀλυσάτρον, ἱπποσέλινον. Hoc ſupra & in aliis obſervavimus. Hic idẽ nominis concurſus & συνηγορία in coniza & origano apud Latinos accidit, qui utramque herbam eodem vocabulo ſignificarunt, ſed ex diverſis fontibus profecto &c. Idem pag. 1285 C. Sic multa alia vocabula in Latino Homonyma ſunt, quæ tamen non ſunt Synonima, quia diverſas habent origines &c. Atque ibidem littera A. minus ergo mirum ſi & Cunila unum vocabulum pluribus deſignandis Herbis factum eſt, cum non ex uno fonte procedat, &c. Idem pagina 1224. litera E. Quemadmodum autem flores & herbę cognomines licet, ubique ab autoribus confunduntur, ita etiam utramque Hyacinthum confundunt, &c. Poſſem

aliorum quoque & vel antiquorum autoritate aſſerta noſtra fulcire, ſed ne in muſtaceo laureolam captare, & rem triviis notam ad ravim uſque inculcare videar, ſuperſedere ab inani labore fas eſſe judicavi; lectorem inquirendi diligentię tradens. Cum verò ut in Plantis & fructibus, ita & in inſectis infinita ὁμώνυμα ſint, facile eſt à viâ veritatis aberrare. Quod in Epiſ. à D. *Vogellio* affine meo ad me miſſis clarè apparet, quib9 Varenum morbū, & Hemerobii uſum tractare opinatus eſt; quarum tenor & diſpoſitio in hâc textus ſerie annectuntur.

*11 Nov. 1620.* Mitto ad te hiſtoriam aſſumpti Hemerobii à virgine viginti quatuor annorum, cujus animalculi formam non ritè expreſſiſti, velut ego quoque facilè in lineamentorum ductu aberrarem. Quocirca occaſione abblandiente ipſum vermen ad te mitto. Cujus ſimilis uſus eſt. Virgo hæc cardialgiâ laborans, ſemel dimidium vermem cereviſiæ butyro pinguefactæ commiſtum aſſumpſit, non ſine levaminis ſequelâ paulo poſt & in anguſtiis non paucis, ſperans meliorem convaleſcentiam, denuo ſeſqui alterum ſeu unum cum dimidio, cereviſiæ ſine butyro inditum adhauſit. Binis exactis horis tormine & cruciatu infeſtabatur prius in ventre, ſed poſtea deſcendente, circa muliebria parte ſuperiore & inferiore (ſic mihi Chirurgus ſecretò retulit.) Hiſce ſeſe annectebat continua inclinatio & conatus vomendi; ſed fruſtra dolore increbreſcente vinum calidum cum nucis myriſticæ miſcelâ uſurpabat, ſed citra fructum. Dolor furorem minabatur toto octo vel novem horarum ſpatio, ita ut confeſtim expiratura videretur. Doloris vehementia in lecto eam capiti innixam ſtare cogebat, & in modum vermium ſeſe vibrare, cum horrendo clamore, & niſi diligenter cuſtodita & ſtragulis munita fuiſſet virgo, nullius auxilii compos reddita foret. Obſtetrix quædam aquam fæniculi ſtillatitiam illi communicabat, ſed cum pauco auxilii profectu. Chirurgus copioſam olei olivarum quantitatem, cereviſiam valde butyratam, oleum rapaceum

Digitized by Google

paceum & ſimiles pinguedines propinabat; quibus admotis ſemihorę ſpatio placatiora omnia ſe præbebant, reddenti urinam copioſam & quidem ſanguinolentam ex læſâ intus muliebri parte; poſtea perſeverante olei uſu &c. ſenſim dolor aſſopitus eſt, & poſtero die reconvaluit. Atque in hunc uſque diem ſtatu indelibato fruitur. Hæc in compendium aſtricta, ſed non admutilata narratio eſt.

Huic Hiſtoriæ ſecundam in altera virgine adnectendam operæ pretium duxi. quæ ita habet.

*Anno 1622.* Quod attinet ad Hemerobii uſum apud virginem Haſſeltenſem, hæc mihi memoria ſuggerit. Poſtquam mulieris cujuſdam conſilio ejus infecti dimidiam tantum partem aſſumſiſſet, aliquam urinæ provocationem & doloris inteſtinorum allevationem nacta eſt. In eam poſtea fatuam opinionem incidens, cum tam parva Hemerobii portio tam parum profeciſſet, duplicatam bis tanto effecturam, proprio conſilio rem aggreditur; unde ut verum confitear, majorem veſicę exonerationē adepta (etſi hydropica non eſſet quantū memoriâ recolligo) ſed flatuum & doloris augmento vexata eo tempore dubiè ſe habebat; quod ab ea proterviæ magis quam neceſſitatis ſtimulo factum. Sed ejus temperamenti urina erat, ut pars corporis inferior inde excoriaretur &c. ſimul tam miſerè ventris dolore, & contractionibus affligeretur, ut mors appetere viſa ſit. Denique cernua capiti inſiſtebat, brachia & manus jactans, ut vix neque verecundè, neque per vim reſiſti poſſit; durante interim ad horas aliquot calamitate & clamore. Per id tempus cum a Chirurgo Lucâ P. M. oleum ad bonæ notæ quantitatem cum lacte vaccino oblatum eſſet, ad frequentem vomitum excitabatur, & hauſti pulveriſati vermis ejectionem. Ex eo tempore neque eam neque alios inde aſſumere voluiſſe opinor. Rem quoque ipſam periculi plenam & minus commendabilem exiſtimo, quantum experimentis intelligere licuit.

Ex hiſce neque morbi, neque vermis naturam & eſſentiam abſolutè colligere licet, poſtquam alibi ſuſpensâ manu, alibi mutilè rem tractat. Quod temporis intervallo accidiſſe auguror, quo multa in Affine meo memoriæ repagulum ſubterfugere potuerunt. Hoc ſaltem notandum ſive vermem, ſive volatile quippiam, aut vaginipenne è ſcarabæorum genere animalculum exhibuerunt, liquidò conſtare æquè difficile eſſe falſa refutare, ac vera ſtabilire. Inſerere tamen hæc propterea libuit, quod occaſio identidem ſuggereret, & ad rem & propoſitum noſtrum aliquo modo facere viderentur.

## Caput III.

Nihil vilius Medicinâ, ſi quæ pedibus calcantur ad uſum veniant, teſte *Plinio*. Quippe nulla non Regio incolis ſuis ſalutaria progenerare ſolet. Non tamen ob hoc apud exteros nata contemnere fas eſt, poſtquam iis quoque ſuas vires atque efficaciam eſſe ad morbos depellendos, exemplis infinitis comprobatum habemus. Quare neque *Plinio* aſ-
„ ſentiendum, qui ait. Nos nec Indicarum Arabicarumque
„ mercium aut extremi orbis attingimus Medicinas. Non
„ placent remediis tam longè naſcentia: non nobis gignun-
„ tur: Imò ne illis quidem alioquin non venderent. libro 22.
„ cap. 24.

Sed neque domeſtica ſemper appretianda veniunt, poſtquam inter ſalutaria, etiam peſtiferi generis noxia reperiri ſolent ſubinde; quod Hemerobii noſtri recenſione liquidò apparet, cujus etſi in patrio ſolo natalis eſt, inquilinis tamen ſolummodo in detrimentum vergere videtur, non una hiſtoriâ fidem aſtruenre. Ne autem humana ſimplicitas damni occaſionem temerario uſu inveniat, inſecti ubivis memorandi tabellam exhibeo, nihil abſolutiſſimo *Aldroandi* de inſectis opere deterritus, in quo nullum cum noſtris quadrare oculis

oculis quiſque ſuis dimetiri poteſt. Sed mihi ad examen non ſolum Medicorum, ſed etiam indagantium Naturam provocare libet, quibus incerniculum facere permitto, quantum vel diſtent inter ſe, vel conveniant. Etſi autem longè petitis etiam in ſiſtendum judico non tamen idcirco aſpernarim triviales & ubivis obvias, vel è ſtercoribus animalium erutas res, modo à probatis Autoribus uſus applicandi ratione celebretur, atque experimenta in vicem teſtimonii ad ſtabiliendam veritatem adduci ſe patiantur. Prudentis enim medici cura eſſe debet, à fædis & venenatis remediis abſtinere, ne inconſultò ea propinans de corio humano ludere & ęgrorum animas negotiari dicatur. Quia autem veneni mentione labor noſter occupatur præterlegendum minimè cenſeo duorum generum venena eſſe. Quippe alia totâ ſubſtantiâ & portione quantumlibet parvâ noxam inferunt, alia in quantitatem immenſi ratam adhibita ad lædendum inclinant. In uſu autem cautio adhibenda, ut peſtifera longè amandentur, & in iis quæ doſi ſolâ obſunt vel proſunt; prudens Medicus adminiſtrationi invigilet, ne iniquo ponderis augmento vitalitati noceant, quæ cæteroquin ſalutis adminiculum præbere ſolent. Differentias verò horum & iſtorum ex ſcriptis medicorum aſſequi licet. Apud Botanicos præcipuè inveſtiganda veniunt, quæ naturam infeſtare vel fovere ſolent. Ne quid tamen per nos etiam in hoc tractatu mutilum reperiatur quorundam recenſione defungi pergam quamvis extra operis noſtri propoſitum abire videatur. Sed priuſquam adventitia adduco noſtra peculia proponenda videntur.

*Ioh. Wierus* Clivenſis quondam Ducis Medicus in Tractatulo ſuo de vareno morbo depingit animalculum, non quidem Ephemerum, ſed ſcarabæum majalem his verbis, è Germanico idiomate in Latinum verſis à me.

In *Thietmarſiâ* circa limites Boreales verſus Daniam & plagas conterminas, Vermem habent, ab iis nominatum **Martz-**

**worm/**

worm/atque Ever/ ab aliis Kadden. Eum vermem colli ambitum fune ambientes in loco editiore ſuſpendunt, præſertim in menſe majo, atque ita flavus humor ex ore ſtillat, qui venenatus creditur, atque ex horum vermium numero unum aut ſeſqui alterum, aut ad ſummum duos cum dimidio torrefactos & in pulverem comminutos ægro ex diluto cereviſiæ propinant, ex quo ſpatiari & laborando corpus exercitio ſe defatigare debet, donec ſudor promanet. Sin autem refractariâ ſiccitate perdurat æger, in furnum calidum, ex quo panis exemptus eſt, ablegari debet, ut proclivior ad ſudorem aditus fiat. Poſt hæc ſymptomatum acerbitate excruciatur, pectoris nimirum, cardialgiæ aut cordis immenſo & miſerando dolore, & totius corporis debilitate & virium defectu. Atque ea diei dimidii ſpatio perſeverant, poſt quæ ſi neceſſitas requirat, denuo idem pulvis illi propinatur, poſt tres aut quatuor dies iterum, & ſæpe numero, ad nonum uſque diem exhibetur; ſiquidem neceſſitas imperare videatur. Thietmarſienſes eam potionem hoc verme compoſitam vernaculâ linguâ vocant Kaddentranck. Hic vermis in capitis & colli circuitu colore purpuræ-ſaturato aut violaceo annotatur, paulum ſcintillans, alæ deliteſcente viriditate tinctæ ſunt; ſub alis atque in dorſi ambitu circuli viſuntur diverſo colore imbuti, ſubinde viriditate micantes, ſubinde flavedine obſcurâ diſtinctæ; venter atque pedes colore caput & collum repreſentant; in utroque latere ventris tres pedes continentur. Roſtro autem incurrato aliis congeneribus & roſtratis non abſimiles. Ubi ætas tenerior eſt promiſcuè cæruleo colore tinctiores cenſentur; excreſcunt in duorum articulorum digiti longitudinem & unius craſſitiem; reperire eos licet in viâ publicâ & menſis May exortu. Genus Cantharidum eſſe videtur. Dom. *Wiero.*

Hæc

Hæc eſt forma Vermis ſuperna & inverſa, qui à Wiero venenatus appellatur.



Thietmarſienſes ſæpè & Weſtphali atque comitatus Tecklenburgenſis incolæ miro honore & dignitate herbam afficiunt, ab iis nuncupari ſolitam Walckenbaum / cujus abundantia in confinio arcis Tecklenburgicæ provenit. Latinè ſolanum ſomniferum inſcribitur. Ea piſtillo attrita & cereviſiæ admiſta in hauſtum præbetur adverſus varenum morbum, unde ęger tam vehementer in ſomnum prȩcipitatur, ut mors inſtare videatur, ſed horis viginti quatuor exactis, denuo ad vigilias redit, non tamen ſine periculi metu, quoniam potione eâ oculi obtenebrantur nebulis infuſcati, veluti intellectus quoque, & ingenium per horas aliquot enervatur. quod miri nihil habet, poſtquam ad tantam quantitatem herba ea aſſumpta veneni in dolem refert, in tertio gradu frigida, & naturæ peculio ſomnum gravem concilians; etſi non ſine

ſine moleſtiâ, minoris tamen periculi quam opium ſed in Canem malo genio prædítum fuſtus durus & aſperus apparatur. In regione Brunſwicenſi ſimilem potionem uſurpant, quâ ægri horis viginti quatuor requieſcere & dormire ſolent. Me cenſente potio hæc ejuſdem herbæ coctione concinnari videtur. Neque mirandi occaſio eſt, cum ego inter alios unum noverim, cui in curatione morbi vareni matutino tempore vermem eum obtuli, & veſpertino ob doloris exceſſum Philonii Romani dragmam: quæ confectio ſomno procurando & doloribus ſedandis appropriatur. Ut autem ſecuritas major ſit, atque ne curandi occaſiones intervertantur, formam & figuram hujus herbæ Walchenbaum vocatæ expreſſi. Hactenus *Wierus.*



Solanum lethale, ſeu Doodelijcke nachtſchaue/ noſtratibus dolle beſie.

Solanum, furioſum lethale opio velocius mortem infert dragmarum quatuor ponderis decoctum, Autoribus *Plinio* & *Galeno.* Sommifero autem ſolano mitiorem vim opio Dioſcorides aſſcribit; cujus duodecim corymbos Hydropicis dari affirmat ad ciendas urinas. (Corymbiferum ſolanum eſt bacciferum Aconitum aliquibus) verum ego manum meam & ab hoc & lethali ſolano amovere ſtatui, ſuſpe-

cta

cta mihi cum ſit exhibitio quamdiu vivendo diesmeos extẽdam, atque Alii idem ut faciant, ſedulò horror, interminorque, cauſam erroris aliquando explicabo. Parens meus olim Lugduni Batav. Herbarius Profeſſor, dum Horti fundamina jacerentur, ajebat apertâ Ianuâ duos fratres clanculum ingreſſos, in lethale Solanum incidiſſe, cujus fructus aſpectu & guſtu allecti (oculis enim gratus & linguæ acceptus, Italis bella Dona nuncupatur) internecionem nullâ mulſâ medicabilem ſibi fænerarunt. Quocirca fructum ejus quotannis decerpi juſſit, ne cui poſthac illicio ſimili par calamitas inſidiaretur. Hæc tamen de Solano dicta, de uſu interno capi debent, poſtquam ab externo ſubmoveri minime velim, quippe foris admotum fructu carere non ſolet, modo dextro judicio Pharmacotriba fungatur. Intus enim aſſumptum naturæ protervіam exerere conſuevit, quamdiu in homine aliquid reperiat quod perimere poſſit. Huic vicinum Aconitum dici ſolet, quod tamen ante omnia venenatis ſcorpionum ictibus velociſſimè adverſatur. Reliqua ſuperſedendo ad lectorem mando, ut preſſius alibi ea inveſtiget, quę paginis noſtris aſcititio labore ſpatia duplicarent. Unum modo addi poſſe judico, quod cavillationibus quorundam obtrudi ſolet; ſcilicet venenum veneni antidotum eſſe. Colluctando enim mutuas vires retundere ajunt, neglectâ propriæ indolis pervicaciâ, quâ abſque ſui generis miſcela indubitatam noxam afferre ſolent. Hujus opinionis autores in eadem porticu ſunt cum iis, qui ex duobus purgantibus, non purgans fieri affirmant. Verum atque his atque illis ſolidi roboris argumenta deeſſe judico, poſtquam experimentis fidem roborare nequeunt, velut ipſæ rationes ſcopis diſſolutis parem nexum ſortitæ ſunt. *Wiero* interim hoc quoque obverſum volo. Quippe ſi venenum veneno pelli aſſeret, concedat utique neceſſe eſt, Vermem ſuum aſſumpto ſolano ſuperaddi poſſe, ſervatâ hominis incolumitate, & in mutuam lanienam ope-

roſâ efficaciâ. A ratione verò devium eſſe videtur, ut exitialia duo venena in hmmano corpore commori poſſint, & tamen homo ſuperſit. Vidi Romæ (nam Hiſtoriæ condimentum addi convenit) in ædibus *Henrici Corvini* convivam Monachum Belgam, qui pro more ſuo petiit hauſtulum vini Albanenſis, antequam ſe ad prandium accinxit & citra nauſeam ebibit, cui particula integra radicis Solani per horulam infuſa erat inſcius fraudis quæ lateret; quæ facta ſunt, cum Manduci Dei ſacra veneraturus eſſet, ultimo Bacchanalium die, quo carnibus valedici ſolet. Caponem verò à precibus in fruſta ſolito chironomontis officio diſſecavit, partem unicuique ſuam diſtribuens, neque ſui ipſe oblitus. Strenuè vero rem aggreſſos convivas alios acriter intuebatur, dum ipſe ad manducandum impar eſſet, conqueri enim cœpit molares ineptos eſſe, velut palatum & linguam ſtupore affici, demptâ omni guſtus facultate. Quibus quærelis cætera menſæ corona in cachinnos ſoluta incompoſitam & tumultuariam carnium conſumptionem aggreſſa eſt. Ille verò in ediæ ſuæ & riſus noſtri impatiens rationem ab hoſpite & convivis tam inſoliti caſus inveſtigare cœpit, præ faſtidio ſuam portionem catello menſæ aſtanti obiiciens, non parvum iræ fomitem nactus. Vini bibendi poteſtas illi remanſerat quò tamen veternoſum (ut ita dicam) palatum ſuſcitare non valuit. Denique cum hoſpiti videretur ſat tædiis illius & noſtræ libidini & procaciæ datum eſſe, aceti fortioris gargariſmate os ter quaterque diluere juſſit, & ſtatim ignavia palati dentiumque ſtupor evanuit, ut ad manducandum ſe componere inciperet. Præ admiratione autem geſticulabundus nihil in noxam ſuam peccatum eſſe gaviſus eſt. Quem eventum Monacho non infœlicem, cauſam eſſe nolo ut alius quis eodem ſolani infuſo aut alio per jocum ac ludum abutatur; poſtquam Comœdia ſubinde in Tragœdiam mutari poſſet, ubi Fortunæ, & Fatis ſiniſtra moliri liberet.

CA-

## CAPUT IV.

VOcatus ego anno 1620. cum Ornatiſſimo ac doctiſſimo D. *Iacobo Barrâ* Collegâ noſtro ad viduam pauperculam, cujus Familia ob prolem plurimam Eccleſiæ Gallicanæ apud nos cordi fuit, quæ ſuſtentando & in adverſâ valetudine medicinam aliquot annorum ſpatio adminiſtrando ei opitulabatur. Filia ejus major natu ementiens varenum morbum continuis cruciatibus extorqueri annorum aliquot ſpatio ſe dicebat, & niſi vermiculis ſubinde excuſſis (uti ajebat) è cavitatibus corporis; narium ſcilicet pinnis, oculorum hirquis, aurium concavis, podice, pudendo, palato, imò mammarum papillis & umbilico, alias nunquam ſe levamen percipere aſſeverabat. Verùm cum non deſiſteret nobis obtrudere omnium formarum vermiculos, penitius inveſtigandi eorum naturam ac formam nobis anſam prębuit. Nam ope perſpicilli exigui pyxidulâ eburneâ incluſi ex novâ & nuperrimâ fabricâ fallaciam deteximus, licet nobis præſentibus nunquam niſi diverſas ſpecies, & formas depromeret, ex ore aut labiorum internâ parte, citra puſtularum præſentiam. Ita nos eludendo detinebant ut ſtipem familiæ alendę parem mater & filia emendicarent, pharmacorum præſidiis ſpretis & abjectis. Huic fallaciæ a nobis detectæ acceſſit & hoc, quod pratulum retro ædes ubi maturius ab oriente ſolè luſtraretur, à nobis clanculum ingreſſis ſit obſervatũ illam pronam jacere, & ex eo vermiculos tam reptiles, apteros, quam alis exiguis prędìtos in os ingerentem, ut deinde quaſi è capſulâ exhiberet; velut è dolio quoque aquæ pluviatili excipiendæ dicato, eos colligere ſolebat, è quo non *ἀπόδων*. verum diverſorum minutulorum ſcolopendrῶn & ſepedum ſubterfugientium vel lynceos oculos prolectabat proventum. Sed hac varietate ſeſe prodebat, nobiſque ulterius atque Eleemoſinariis Eccleſiæ curæ eſſe deſiit.

Simili exemplo in Trans-Iſulaniâ Haſſeltæ urbis virgo, quæ Medicos & Diaconos in Eccleſia ibidem à tenera ætate imo octennio integro toties feſellit, donec impoſtura ſua commiſerationem & opem, quam perceperat, irritam fecit.

Apud eoſdem Tranſiſulanos Hemerobii ſeu potius majalis Vermis ſeu inſecti Hoſpitium eſt frequens, ſed hiſce conquirendi ſtudium majus tunc temporis erat, quam nunc, quaſi deſiiſſet varenus morbus, ceu nunquam extitiſſet. Ego re vera apud amicos ibi degens quamcumque attentionem in labore inveſtigandi collocavi, & minimè comperi veterum & neotericorum ſententias, accuratè morbum eundem, aut aliquo modo ſimilem exprimere; ſicut & in Vermis hiſtoria diſpares ſunt, quod in ſequentibus liquidò conſtabit. Nec iccirco Inſecto huic venabula tendere deſii; ſed ſi quid ad indolem ejus pertinere videretur, perſcrutatus ſum, ne ſola imagine, aut cadaverculo ſatiari me paterer. Naturæ enim peculia indagare malo, ut publico uſui à me fœcunda reddantur. Sed cum virgo hæc fraudis ſuſpicione me impleret, etiam ipſa conſentiente ab Hemerobii exhibitione (ut & ipſamet) abſtinere malui, & morbi curandi rationem nullam præterquam inveteratę luis hæreditariæ dięta perficiendam reliqui. In hac vero morbum mentiente ſcriptioni metam figo, poſtquam ad *Galeni* tractatum de ſimulantibus morbos regreſſum capere deberem, ſi omnes falſò cauſarios recenſere opus foret. Ita neque inquiſitioni ulteriori aliquid concedo, ſatis fore judicans, ſi uno aut altero ſchæmate, pravitatis humanæ indolem expoſuero. Neque enim patriæ noſtræ labem impingere decet, mendaciorum propolas ad unum omnes enumerando. Etſi Laverniores ſuos quævis terra alere ſolet, ne noſtro clymati peculiaris ſecitas aſſcribatur. Sed in tanta mentientium turba fæculentæ plebeculæ aliquid condonandum videtur, quæ de viliori luto effigiem trahere ſolet. Doctrinæ autem & ſtudiorum myſtas paginis ſuis mendaciorum

daciorum vindemias inſerere, id omnem honeſtatem delumbat. Non tamen in hoc auctoratus veni, ut alieno labori inſultare, aut obliquè loquentium ſtrophas obtorto collo rapere velim; inextricabilis enim labor eſt impudentiæ crucem figere; ſed neque frugiferus admodum, cum plus in una veritatis aſſertione efficaciæ ſit, quam in decem mendaciorum narratione. Ne tamen inſenſatus planè hæc pertranſiiſſe videar, cenſuram in doctiſſimo *Wiero* ſtringere non dubito. Quippe in tractatulo ſuo varenum morbum deſcribente, tam exitioſum animalculum ſe exhibuiſſe ſemel modo fatetur; citra tamen ullius commodi acceſſum. Ut ſtupendum ſit ſine experientia lativaga rem ignotam ab eo obtrudi: poſtquam hac duce, Ratio & Methodus locum ſuum & ordinem invenire ſolent.

## CAPUT V.

CUique Regioni ferè ſua ſunt & mala & bona: Quemadmodum & noſtræ Patriæ; Exemplo Cochleariæ ad ſcorbutum, & Inſectorum quæ Ornatus ac Induſtrius Pharmacopœus *Ioannes Pottius* Ameſſortius ad me miſit, cum inſcriptione **Meywormen uyt de Provintie Utrecht.** Epiſtolæ tenor hic eſt.



Peracto ſalutandi officio mitto ad te curſoris, qui haſce tibi tradit manu, tres Vermes Majales, quos hactenus vivos reperire non licuit. Ubi occaſio favebit vivi aliquando ad te mittentur. Inveniendi eorum facultas eſt, non circa fluvios

aut

aut torrentes, ſed in ericetis noſtris, appetente menſe majo, & circa Junii umbilicum. Uſurpari præcipuè à ruſticis ſolent adverſus dolorem membrorum qui ab iis vocatur **barten.** Videtur eſſe arthritis vaga. Modus utendi hic eſt; aſſumunt ſemper numerum imparem, prima vice unicum poſt ternos, & ad ſummum quinque: præter eam ſuperſtitionem etiam hoc inolevit, ut ne manu quidem aut digito tangere eos liceat. Effectus inde procedens eſt, primo maxima ventris perturbatio, & circa urinæ ductus, ita ut præ dolore occumbere videantur; hinc per urinas omne eorum opus abſolvitur, ſeri multum eliciendo ſed maximo & exceſſivo morſu; Aliquando autem accidit, ut eo à doloribus ſuis vindicentur. Hactenus potiora his narrare tibi ignoro. D. *Schuttius* itidem ad te ſcribere ſtatuit, ſed in præſentiarum invalidus erat. 10. Apr. 1634. de verbo ad verbum è belgicâ in Latinam linguam tranſtuli. Interim D. *Schuttii* verba hæc ſunt. Majo menſe in ericetis noſtris colligitur (animalculum ſupra memoratum) ſed intactum manu (hæc hominibus ſuperſtitio eſt) Manu ſi tangas vim amitti medicamentoſam putant. Unum & alterum aut etiam plures in pulverem redigunt, quem ex cereviſia bibendum dant iis, qui vagâ laborant Arthritide, **de Barten**/ vulgo appellant. Vomitum, aluumque terribiliter ciet, cum horrendis ſymptomatibus, ardore urinæ, & interdum lethali Iſchuriâ. Credo ego omninò cantharidum eſſe ſpeciem, ſi ex formâ & effectis licet conjecturam facere.
,, *Hactenus* Epiſtola. Clariſſ. *Aldroandus* ait libro de inſectis,
,, Fol. 474. Illud quoque non ignorare oportet, cum de loco
,, facta ſit mentio; in Belgio & ultra ejus Provincias verſus
,, Septentrionalem plagam, ea cantharidum genera, quæ in
,, frumento naſcuntur, neutiquam reperiri, nec ea, quarum
,, in Medicinis uſus eſt hodierno tempore; ſed tantum quæ
,, Cantharides rotundæ & *violæ* ſunt à nobis dictæ, hæ autem
,, ibidē variâ, ac multiplici ſpecie cernuntur, & paulo infra.

Urbis

Urbis Ultrajectinę aliquot familiæ, atque vicinarum urbium in Provinciâ Trajectenſi incolæ, ante annos circiter ſexaginta arthritidi vagæ obnoxii fuère, eamque Varenum morbum, ſeu ſpringende Gichte quaſi articulorum dicas tranſultorium dolorem, indigitarunt; cauſamque aſſcribunt orgaſmo ſucci venenoſi, tenuiſque penes aduſtam, pepaſmique expertem bilem flatulentam. Cl. & Nobiliſſ. *Ioannes Heurnius* in Academia Lugduno-Batava Medicinæ Profeſſor Primarius, & quondam Præceptor meus in Epiſtola ad *Henricum à Bra* de novis & mirandis morbis, licet nullam reſciverat ab infimo ſtudiorum ſuorum ævo mentionem factam vareni morbi, ſtudium interim Campenſis Medici à Bra ſummoperè laudat; quod Endemium ſeu Inquilinum morbum ita examinarit, & Patrię comperta remedia prodat ad illud malum, verùm neutiquam eſt autor ut exhibeatur Vermis hic, quem ignorabat ipſus, cum *Foreſto* & à *Bra*. Hujus autem Vermiculi ternos triplici idæa expreſſos tabella noſtro conſilio & ſculptoris opera profert, ut ex hac inſecti purpureo violacci variatione, & morbi dubii non minus diverſa deſcriptione, errorum fomitem agnoſcere poſſis. Doctiſſ. *Scuttius* in ea ſententia videtur totus, hoc animalculum coleopteron cantharidis congenerem exitiali ut plurimum eventu nocere; quare ejus uſum non approbat; nec alterius quam vagæ arthritidis, nobis aliquomodo cognitæ, affectus mentionem facit, varenum vermini generis morbum non agnoſcens. Interim Amicus Ludimagiſter Haſſeltenſis ait, animalculum hoc in Tranſiſulano agro agreſtibus in uſu familiare eſſe & arthritidis ſpeciei cuidam non inconvenienter ſubinde applicari, uſibus ſcilicet internis. Verùm quod ſupra notatum, manu contrectari non debet, aſt lento per filum tranſitu in pyxidem demitti, ne tactu illud, quod Balſamum vocant, ex animalculi alvo effluentis ſucci, aliquâ portione deſtituatur. Idem dicit inveniri in Ericetis, ubi bigæ & quadrigæ viam detritam &

cap.*6*. Uliſſes Aldroandus animalculum ignorat, quod unius diei vita fruatur; verùm *Ariſtoteli* totum tribuens, pedibus quatuor totidemque pennis animalculum figura non addita deſcribit; & Plinii ſubdit Hiſtoriam, qui ab Ariſtotele mutuatus repetiit fermè eadem, quibus indolem Hemerobii, Ephemeri, ſeu diarii noſtri exprimere videtur. *Aelianus* lib. 5. de animalibus cap. 43. *Ariſtotelem* citans hujus mentionem abſque alarum & pedum numero facere aggreſſus eſt: vocatque *μονήμερον* quod idem ſonat. Quippe *Ariſtotelem* dicere inquit, *Beſtiolam* apud Hipanin fluvium unum diem viventem ſub lucem matutinam naſci, poſt autem ad ſolis occaſum extin-
,, gui. *Iacobus Dalechampius* in *Plinii* locum hoc addit *Scho-*
,, *liolon.* Tali tempore id Culicum genus in Arari naſcitur,
,, eodemque die mortuum in aquis innatat, piſcibus avidiſſi-
,, mè conſectantibus: Lugdunenſes Piſcatores vocant *de la Manne.* ſic ille. Sed cum Ephemeron, ſive Hemerobion, ſive *monemeron*, *Ariſtoteli* quadripenne ſit, è culicum genere, quod bipenne eſt, dici non poteſt. Inſecta interim quædam culiciformia quoad corpus, etiam quatuor alis prædita apud Aldroandum ſunt. *Bocatius* Ephemeron manè eſſe infantem inventutem tenere meridiè, veſperi ſenio confici & mori addit. *I. C. Scaliger* & *Cardanus* Ephemeron deſcribunt, quorum verba hic ſubnecto, ſed ut *Cardani* priora ſint, cujus textus Fol. *655*. hic eſt.

,, Notiſſima apud Ciceronem Ephemeri hiſtoria, quod ani-
,, mal quaternis pedibus, totidem alis naſcitur apud *Hipanin*
,, *Boſphori* fluvium. Vitam à manè ad veſperam, unde illi in-
,, ditum nomen eſt, ducens. Mane puer, meridie juvenis,
,, ſenex veſperi, occidente ſole commoritur: ut multo plus
,, laboris ac temporis ad generationem, quam ad vitæ uſum
,, natura impendiſſe videatur. Demirari itaque tantam con-
,, ditricis ſolicitudinem licet, & in tam brevis vitæ animali,
,, tot inſtrumenta tot facultates: videt: audit; volat; am-
,, bulat.



Digitized by Google

autoritate quicquam aggrediendum non cenſeo; non neglectis interim Neotericorum ſententiis. quarum ſibi *Dortmannus* bonam partem vendicat. In Epiſtola *H. à Bra*, Cantarello voce Italicâ dicitur, ſed quam benè neſcio; ſonum enim non elidit. Aſſerit interim Vocabulum 𝔙𝔞𝔯𝔢𝔫 patriâ linguâ ſingulare quoddam genus lumbricorum denotare. Apud eundem Vareni morbi ſigna, differentias, Cauſas, Partes affectas cognoſcere licebit, ejuſque morbi curam accuratiſſimã & a Clariſſimis Medicis Foreſto & Heurnio approbatam, vermis interim majalis uſum reijcientibus. Aldroandus notat Scaligerum quod maluerit de numero pedum veritatem tacere, quam Ariſtoteli repugnare, non enim credendum cum cæterorum Scaliger meminerit optimè pedum numeri fuiſſe oblitum. Hæc ſunt quæ in autorum ſpatijs fuſius quam parcius, ſubtilius quam verius conſcripta repperi quibus rem ignotam aut potius neglectam magna ex parte præconio ſuo notam facere conati ſunt. Præconium enim non eſt nec dicitur de ignotâ re. Interim licet in brevis vitæ creaturâ leviter tranſegerint, nos tamen naturam rei vel minimæ non prætereundam, ſed maximoperè ſpectandam judicavimus; præcipuè cum rerum Natura nuſquam magis quam in minimis tota ſit, referente Plinio Lib. undecimo Natur. Hiſtor. Capite ſecundo.

*Hemerobius* Houfnaglii *paucis tantum omiſſis à* Scaligero *depingitur, & huic capiti ſubjungitur ut pagellæ vacuitati occurratur.*



pit, ſed priores pedes in corneam formam illi degenerant proinde pronam pinxi. Tertia inſecti eſt, cum ludit ſuper undas, in hanc quam præbemus formam ſe componens. Eſt ea magnitudine qua pingitur, colore ex buxeo, cum cauda trifurcata & oblonga. Volat modo capite ſupino, modo inſtar reliquorum inſectorum, erecto. In volatu autem coit tremulis alis geſtiens. Undas tribus caudæ proceſſibus ut innitatur, amplecti ſolet. Quod mirabile viſu eſt, ita ſcilicet ſpargi caudæ ramos, ut extantes corporis partes extra aquæ contactum conſerventur.

Originem habet ex verme quodam terreno & pedibus inſtructo, qui poſtea mutatur in apodem beſtiolam cum ex terrâ prodit. Candidiſſima inveſtitur pelliculâ, qua dirupta volat; quod illi circa S. Oduphi feſtum ſolemne eſt. Volatus autem per triduum viget, ſed ita ut qui manè prodivit, ſub veſperam intermoriatur. Super aquas vero cauda innixi cum ludunt facile a piſcibus capti abſumuntur, quę cauſa eſt ut piſcatores hæc animalcula *aês* vocant, quod Latini piſcium cibum interpretantur.

*Schol.* [Puto ad Juſtinopolin Exarchatum] Quid ſibi velit hæc vox Exarchatus, ex Epithome vitæ imperatorum à Sex. Aurel. Victore conſcriptâ intelligere licet. De minore enim Iuſtino ſermocinans hoc digreſſu evagatur. Exarchatus ſedes quondam fuit Ravennæ, qui Magiſtratus cœpit, anno mundi 4535 à Chriſto nato 571, ab hoc Iuſtino minore excogitatus, ut Imperatoris quodammodo vicarius in Italia foret, eàque fuit auctoritate, ut Pontifex Romæ creatus ab eo confirmaretur. Duravit annis hic Magiſtratus 164.

[Homericam Junonem *βοῶπιν*] Junonis epitheton *βοῶπις* quod haberet oculos bovinos, id eſt rotundos & magnos & per hoc pulchros. Eſt & Piſcis *Boops* qui cum parvus ſit habet magnos oculos.

[*κούρης* oculum] *κούρη* pro *κόρη* puella, nympha Græcè.

CAPUT.

ſe committunt. Poſtquam volando diſtringuntur, vix 10 aut 12 horarum beneficio ad vitæ uſuram fruuntur, ſed longioris fili ſpiritum trahentis ex quo effoſſi in genitali limo aſſervantur. Fluviatiles piſces eam ſaginam appetunt, præter Lupum aquatilem & Percam, qui nunquam aut ſaltem rarò eâ eſcâ capiuntur. Atque ea ſunt quæ huc uſque indagando aſſequi licuit. Si quid porrò conſcire nobis dabitur, acceleratâ expeditione tibi communicabimus. In Epiſtolæ hujus comitatu olla overaes inſtructa ad te venit. Ex piſcatoribus deinde aſſecutus ſum, optimum vitæ ſervandæ modum eſſe, ſi ramentis ceſpitum aut furfure condantur. Porro aliquot ad te transferri curabo, ubi volandi ſolemnia apud eos deſiverunt. Centuriò quidam Leo vocatus attendiſſe ſe ait, eos prope ad generationem apum accedere. Quippe ubi adulti volando ſe exercent, pulli bonæ magnitudinis dimenſum nacti ſunt; ita ut aliquò temporis præcurſu ſemen excreverint, antequam ad volandi ritus ſe transferunt.

*T. Fr. Petrus Cracht.*

Alteram viri hujus diligentiam addo, ſed cujus ſententiam quæſtionibus explorare duxi, ne longa commentandi ſpatia naſcerentur, ſi in orationem continuam verba coagmentanda venirent. Neque enim omnibus vel eruditio favet, vel otium aſſentitur, poſtquam diſertiſſimos quoque negotiorum moles a ſcribendo deterrere ſolet. Singulis vero quæſitis reſponſa ſua adaptavi, ut in diametro poſita lectoris iudicium exacuant, & prompta rei diſcretio reddatur. Ipſa porro problemata benigno pollice premere decet, ne quæ in aliis publicam rem juvandi ſtudia ſunt, livoris afflatu hebeſcere incipiant.

*Quæſtiones ab Autore propoſitæ* Crachtio *atque ejus reſponſiones.*

I. An vulgare nomen overaes rectius appellari poſſit oever-aes?

*Reſpondet.* Fidei apud me propinquius eſt, nomen Vermis recta appellatione oëveraes figurari, quaſi hamum riparium dicas, quia in crepidine fluvii reperiri aſſolet.

II. Utrum prima ejus origo ſint Vermes quidam dilute flaveſcentes longitudinem internodii in digito adæquantes, tactu rigidi & motu citati, dum manu apprehenduntur, ut piſcium hamus reddantur?

*Reſp.* Natalitius Vermis hujus dies ex minutiſſimis Vermiculis originem ſumit; verùm tenellam compagem corporis nactus eſt, excepto capite, quo duritiâ notabile viſitur, quare piſcatoribus neceſſitas impendet uncum hami ſui capiti infligere; cæteroqui minus tenaciter inhæreret. Motu quippe valens admodum eſt, colore cœſius, mox temporis lapſu, flavedinem adumbrans.

III. Utrum natalis Vermium ex compactili argillâ proveniat aut ex cavernulis, in quibus Vermininum ſemen depoſitum eſt?

*Reſp.* Vermes hi reperiundos ſe præbent in compactili argillâ in qua velut apes cavernulis ſegregatis muniti ſunt. Vulgaris ſententia eſt ſeminis ejectionem eos moliri, antequam volandi habitum nanciſcantur, ex quo minutuli progerminare ſolent. Alii exiſtimant ex ipſa argillæ ſubſtantiâ progenerari, poſtquam ſitu minus profundè quam magni conduntur. Vulgari autem opinione conſtat, ex ſemine eorum prognaſci, quod ut plurimum circa ſuperficiem terræ effundere ſolent; ut ab affluxu aquarum liberiores ſint. Piſcatores autem affirmãt, quantò magis aqua detumuit, tantò abſtruſius cavernulis ſuis deliteſcere. Fluxu autem increbreſcente, in

te, in altum ad labra uſque terræ ſublimari. Minutiores in principio altius hoſpitari ſolent, & quantum magnitudini accedit, tantum cavernulas ſuas profundius concinnant.

IV. Utrum ad volatum apti, tanquam fœtus pennigeri bombycum, copulentur maris & fæmellæ modo?

*Reſp.* Hujus articuli rationes reddere nemo præſumit.

V. Utrum Vermis hic præcipuè in Aprili Majo & circa hos menſes, tantummodo ligonibus & id genus inſtrumentis ripæ infixis erutus inveniatur, an toto æſtatis ſpatio is labor perduret, ut piſcium ſagina conquiratur?

*Reſp.* Fama percrebuit toto anni ſpatio eos reperiri, quod à fide non aberrat; poſtquam inpræſentiarum tam minutulorum copia eſt quam grandium. Exigui autem recuperabiles ſe præbent, poſt expeditum à magnis volatum. Piſcatores tamen eos non prius ligone eruere tentant, quam Martii umbilicus aut Aprilis initium appetat. In quam ſententiam referunt, ante tempus prædictũ piſces inde delibare nolle. Quando autem volando metam dederunt etiam saginam hanc degeneraſſe. Alii aſſerere non dubitant, in Septembri & Octobri antiquam bonitatem induere, ut piſcandi facultas reſtituatur.

VI. Utrum Vermis hic aut inde natum volatile animalculum à quibuſdam Medicinę loco uſurpetur, & quo occaſionis illicio?

*Reſp.* An Vermes hi, aut animalculum inde profectum Medicinæ loco uſurpetur, neque Medicus noſter, neque Pharmacopœus aſtruere queunt.

VII. Magnitudo, & pedum multitudo, numerus, in Verme ipſo, tum ipſo volatili, tenor vitę quouſque extendatur, utrum volando tempus aptum termino unius diei finiatur: color volantis inſecti: hæc ſciendi cupidinem in me provocarunt?

*Reſp.* Magnitudo volantis inſecti auricularis digiti longitudinem repræſentat. Pedum vero numerus ante volatus

auſpicia quantus ſit, neſcire me profiteor. Rem verò percunctanti nemo veritatem enodare auſus eſt. Volantis autem longævitatem 10 aut 12 horis definiri. Qui autem volando perdurant capturam effugientes, omnes penè aqua ſubmerguntur antequam nox in propinquo eſt. Ita ut quatuor aut quinque tantum horis, officio alarum fungantur. Quippe die declivi ſolummodo apricari geſtiunt. Volandi autem hæc cura ad triduum perſeverat, ita tamen ut peculiares ſint, atque ſuccedanei, qui ex cavernulis ſuis prorepunt. Per volandi tenorem cæſius eorum color eſt, flavedini interſperſus; Alæ longiuſculæ & tenellæ. Horum Hemerobiorum tibi numerus aliquis poſt abſolutum volatum mittetur.

VIII. Volandi vero ritus quâ normâ dirigatur, an cibatu fruatur, & verſus continentem velociter, an lentè, huminè an ſublimè feratur?

*Reſp.* Volandi induſtriâ occupati saginâ nullâ aut cibatu fruuntur. Perpes autem illis volandi curſus, circa aquæ ſuperficiem eſſe ſolet, & ponè littus; in continentem quoque ſe promovent, ſed ſemper ad vicinitatem confluentis reduces, ut tandem ad unum omnes aquâ intereant; in quâ infinito penè numero ab avibus & piſcibus devorari ſolent.

IX. Utrum vermiculus qui multipes eſſe videtur, magnam mutationem ſubeat; antequam volatilis naturam ſuſcipit. Et tranſmutatio ex vermis facie ad formam volatilis an eandem indolem habeat qualis Papilionibus utriuſque generis innata eſt, qui ex erucis animari ſolent, & poſtquam terræ receptaculo conditi reperiuntur ad tempus uſque ſolſtitii latebris ſe tegunt, tanquam faſciis involutus infans.

*Reſp.* Quod formæ mutationem concernit, id animalculi ipſius inſpectione tibi rateſcet, liquidiùs ſanè quam ſcribendo tibi delinearem. Et ſicut ante octiduum magnam ollam Vermium ſeu **oeveraes** farctu ad Nauwingium fratrem deferri juſſi; ita ad te etiam bonum numerum mittere polliceor,

ubi

ubi a volando deſciverunt; quo tibi propriæ inveſtigationi tutius invigilare licebit.

Quæſtiones haſce meas reſponſo ſuo excipere dignatus eſt *Petrus Crachtius* & me raro obſequio devinxit. hiſce additis. Hæc in faſciculum contracta problematum tuorum deſideriis inſervire patieris; hâc quidem occaſione, nam in futuro, ſi quid aſſequar, ejus ad te compendium mittere ſtatui.

Ego vero etiam in ſimiles leges me aſtringo, ut quæ vel ab hoc vel ab illo poſtliminii velut jure nactus fuero, in medium proferre ſpondeam. Spes autem animare me ſolet, alicujus operâ tandem rerum caliginem diſparituram, Poſtquam non ceſſante experimento aliæ atque aliæ efficaciæ ſe prodere ſolent. Interim inguſtulum præmiſſis ita frui tibi libeat, ut convivatores ſolent, qui pleniores miſſus expectando ſupernis tantum labris primos miſſus aut verius antecœnia delibare ſolent, ut guſtu excitato, ſolidi obſonii appoſitu tandem fruantur, ſed judicii quoque æquitate, circa præludia noſtra defungi te volo, quæ à me in artis formam minimè redacta fateor. Quippe incertis conjecturis, & re dubia nihil ſolidè tractari poteſt. Sed neque methodum noſtram ad cavillos vocari velim, quod nullas dichotomias Ramæorum more ſector, aut à definitione rerum dicendi exordium ſumo. Commentarium quippe liberrimi tractatus pango, in quo ingenii impetum ſequi excuſatius licet, quam ad anxias leges, ſcribendi perpendiculum cogere; quo ſæpè operi majeſtas perit, velut *Plinius Nepos* ait. *Nimia cura deterit opus.* Prolixitas verò etiam aliorum ne tædio ſit, obteſtatum volo, poſtquam verbis alienis ad dimenſum ſuum uti coactus fui, ne naſutiem meam detruncandi libidine propalarem. *Platone* enim cenſente *in alienâ republicâ non decet eſſe curioſum.* Noſtri quoque textus verba ſimili veniâ donare te precor, Si fortè alibi longitudine, alibi brevitate peccare videbuntur, quæ in aliam



Digitized by Google

faciem ſuo ævo aptare ſpondeo; velut in ſequenti capite debiti mei partem aliquam perſolviſſe videor.

## CAPUT VIII.

I.



II.



III.



Quod in præcedentibus fusè & ſparſim dixi, nunc in gratiam Lectoris per anacephalęoſin Vermē Majalē, N° I. Aureliam II. & Hemerobiū ipſum III. cōpendiosè & ſtrictim

ſum

Digitized by Google

ſum exhibiturus. Omnia hujus generis inſecta, poſt vermis aut Erucæ formã, à motu ceſſant, & membranâ tenui velut putamine obareſcunt, ut loquitur *Plinius*; quâ ruptâ exit tanquam ex ovo quadripenne & ſex pedum animal, poſt triplicem formæ generationem omnibus modis perfectum. Pleno enim corporis filo & vitali animâ conſtat, ut nihil deſideretur, quam quod deliteſcat certo temporis curriculo, puta, menſis circiter ſpatio, ſicut bombyx, quæ tandem filis nendis abſumpta & exſucca, e novâ quaſi putredine papilio evadit, erucarum quot quot ſunt exemplo: quæ interea nec mutilæ nec imperfectæ dici debent, teſte Aldroando: Qui ait vermem accreſcere & paulatim diſcerni in formam & ſpeciem deſtinati animalis. Erucæ dum repunt cibum capiunt, mox non ubi membranâ clauſæ ſunt; quæ per id tempus Aureliæ aut Chryſalides à colore, & *necydali* quaſi ſopiti, & ut Gaza interpretatur, invalidi viſuntur, donec ſuo tempore αὐτοματως ſe prodant. Summopere neceſſarium duxi hæc præmittere, antequam majalis vermis & Hemerobij naturã dicere inauſpicarer præcipuè; cũ a priſcis & eorum interpretibus neglecti videantur, aut ſaltem minus verè depicti. Erucarum quippe fluviatilium nare & cuniculos agere ſolitarum, nemo quod ſciam meminit; cum tamen noſter vermis inſtrumenta habeat accommoda & præcipuè ſexpedes, quibus repere, ſcandere in declivè & acclivè latibulo ſuo conſeptus poſſit. Vibrat enim ſe potenter motu quolibet, ut terram quoque terebrare duro capite & cornibus munito valeat; quibus ut antennis ſecundum Aldroandum oculi conſervantur; pedibus primoribus capiti ipſi annexis, cæteris quatuor paulò majoribus vim facere & vias ſibi aperire gnarus eſt. Cæterum alvum habet duodenis ſectiunculis diviſam, & unaquæque earum utrobiq; pinnis exiguis ſurſum vergentibus, quibus gratioſè natare conſuevit, dotatus eſt, color autem luridus eſt; cauda velut in gubernaculum addita, quâ natatum curſu directo inſtituere novit. Primum ſuum incre-

incrementum à vermiculo ad inſtar Aſcaridis perhibetur habere; velut piſcatores fluviorum Moſæ. Wael,& Leck, in limo deliteſcere ajunt, donec circa octobrem menſem juſtam magnitudinem nactus piſcatorum hamis infigi poſſit; vermiculus itaque hic fætura eſt Erucæ natatricis, licet nonnulli ſint qui ὁμονύμως oriri ſuſtineant, è pinguiore &lentiore argillæ portione, velut limacũ quoque ortus eſſe ſolet. Porro apud claris. Aldroandum in Paralipomenis Fol. 763. Xylophtori aquatici ſeu Ligniperdæ Icon habetur, cum Verme noſtro majali, aut ocveraes aliquâ corpuſculi æmulatione certans; uti & hoc commune habet, quod etiam in Chryſalidem & Papilionem tandem abeat. Aureliam autem ejuſq faciem deſcribere nemo exactius poſſit, quam Sculptor noſter, ſicuti in Icone videre eſt. Corpuſculum verò lento viſcido & puris facie notato ſucco refertum eſt intus, foris autem ochræ colore inſignitũ, donec denuo animatum formatur in volatile, ut plurimum in conſimilibus accidit ut longè majus animalculi corpuſculum ſit ipſa theculâ aut involucro, unde erumpit nullâ factâ roſione, ſed diſploſione quâdam. Quod exemplo cujuſdam fructus Indici amygdalino corio præditi aut ejus generis apud *Cluſium* deſcripti, confirmo. Doctiſſimus autē D. *Iacobus Guil: Hooft* ante annos aliquot redux è Germania, Clariſſimi *Bauhini* muſæum exoticorum & rariorũ ſelectu ditaturus ob bene merita, in conquirendis & coëmendis à me opellam efflagitavit. Incidit fortè in manus meas coriaceus quidam fructus, qui cum extima in parte leviter hiare inciperet, ad inquiſitionem nuclei me promptũ reddidit. Involucro vixdum aperto, ecce ſcarabæus ater grandis, pondere circiter dimidiæ unciæ exilit, non quidem vivus, ſed tamen membris omnibus momento temporis ita expanſis, ut intra ſuum corium nullo modo denuò recipi potuerit. Bauhino verò anſam præbuit eum divulgandi, cum recenſione hiſtoriolę ad illum à me tranſmiſſæ; quod biennio ante

ante obitum illius, literis ad me datis ſe feciſſe ſignificavit. Sed revertamur ad propoſitum. Hemerobius ſenectâ & membranulâ vixdum excuſſâ, podici etiamnum ſubinde adhærente, ſe ad volatum accingit; cujus onere tardatur, ac citius piſcium eſca redditur, more illorum.

*Qui noſtras imitantur Aves, lucem ante diem optant*
*Vix laceris ovi pellibus, aſtra petunt.*

Unde præcipite caſu velut Icarus delabuntur.

At Hemerobius membranulâ eâ liberatus, jam velut puellus in ſublime non fertur, verùm margines fluminum, unde natalitium hauſit, præterlabitur, quoquoverſus tantum leviſſimum volatum per aëra explicans. Ambulare verò nullis Doctorum creditur, etſi Cardano placuerit; ſed quietem ſubinde poſcens in ripâ ſubſiſtit, præ exilitate pedum depreſſus, cum ſit graviuſculo & obeſo corpore præditus; quare cibum non poſcit more *bombyliorum*. Quatuor alis ſummis grandioribus, infimis minoribus volãdo nititur. Caput veluti Perlarum è papilionum genere, tranſlucet membranaceâ tunicâ, ſuperciliis carens; protuberantes oculos exerens; promuſcide in ſe convolutâ; ſcutiforme dorſum habet; ſucciplenum eſt animalculum; atque ideo piſcium quorundam manna eſt & Encænia; χρυσοειδὴς cum ſubluteo fulgore, caudam bifidam aut trifurcatam gerit; Antennæ ſeu corniculæ oculis præfixæ eos ab injuria externâ muniunt. Pedes licet exiles, numero tamen ſenario annotantur. Cætera eicones docebunt.

Hemerobius verò ab ornatiſſimo Petro Crachtio ad me tranſmiſſus à præcedente variat. Corpuſculo enim minus ventrioſo cernitur. Ab alarum juncturis ad caudam uſque ſectiunculis æqualibus orbiculatim ductis diſtinctus eſt. Cauda verò bifurcata aut trifurcata digiti minoris longitudine excurrit; velut extremitatem alui in duos uncos forcipis modo ſecretam animadvertimus. Nitoris verò aurei fulgore

antecellit; alarum color non æquè ſplendidus eſt; quarum infimæ minus breves ſunt in hoc, quam in illo; pedes non hirti, ſed quorum internodia cum lævore in faſtigium terminantur, quod ipſum in tenues floccos aut filamenta diſſectum annotatur. Caput quale muſcæ, nigrum ut plurimum, antennæ ſeu potius antiæ ab implantationis ſede ſenſim intervallum ſuum dilatant; Promuſcis vix conſpicua eſt. Ob eam tamen ſuperficiei varietatem animalculum hoc non debet cenſeri diverſum ab Hemerobio, quem operâ Houſnaglij poſſideo.



Quippe externâ partium figura aliquo modo varius, internis genij viribus quaqua verſus reſpondere invenietur, ſi cui experientia in fidem vocabitur. Cæterum Houſnaglius diligentiſſimus naturæ perſcrutator hemerobij quoque contemplationem gnaviter tractavit. Quippe in ripa fluminis Mechliniam præterlabentis, Hemerobios catervatim volàtus impetum abſoluere, cum admiratione obſervavit. Atque hæc

hæc verbis quantum licuit accuratis digeſta offeruntur ijs, quibus nativam animalculi faciem videre non contigit. Quibus autem Eiconem à me propoſitam inſpicere voluntas erit, noſtra deſcriptione non parum juvabuntur, ut bonam animalculi notitiam adipiſcantur. Sin autem ipſo ſive vivo, ſive mortuo aliquando potientur, omnis ad cognitionem accumpletam via patefacta erit.

Vermem itaque majalem noſtrum licet nunquam uſibus Medicis aptatum, ejuſque ſobolem Aureliam (aut Chryſalida cujus Plinius perfunctoriè meminit tenuis membranæ ad inſtar acinorum eſſe dicens, & Hemerobium Hiſtoriola ſcolaſtica magis quam Medica declaravi. Dubiam enim medicinam accuratè perſequi piaculum eſſe judico, poſtquam neque meis neque mihi ipſe ratione ſatisfacio. Tumultu vero medicaminum ne turbetur medicus autor ſum. judicium præcipuè intendat circa Cantharidem purpureo-violaceam Trajectenſium, (autoritate (Aldroandi rotundam violam appellandã) & Wieri cornutum ſcarabæum quem Trajectenſes, velut Wierus ipſe ſuum, vermem majalem nuncuparunt. Hæc & ſimilia ad judicium Lectoris medici & religioſi naturalium indagatoris defero. Sed diutius quam par eſt infructuoſis operam dedi; ad fructuoſa digrediendum; inter quæ primum ordinem Apes ſibi vendicant; quarum hiſtoriam Parens meus P. M. ante annos 36 dialogiſmo divulgavit, mihi poſtmodum provinciam committens in continuam orationem Latinè traducendi.

## *Admonitio ad Lectorem.*

Hactenus de hemerobio, quem ex omni virorum ſelectu locupletiorẽ reddere laboravi. Quare ad autoritates alienas provoco, ſi quid minus firmum prodivit. Si quid omiſſum, librorũ penuriæ imputandũ, non negligentiæ noſtræ. Pauci enim

nim abjectæ rei enucleatores eſſe voluerunt, velut multis ad experimentum occaſio defuit. Nonnullos vero autores nactus, uno me caruiſſe doleo quo completior doctrina reddi potuiſſet. Quippe *Henrici Wieri* Med. Electoris Trevirenſis, *Iohannis Wieri* Med. Ducis Clivenſis Filii, ad *Henricum Smetium* epiſtola ſerò oculos noſtros intravit, in quâ ad hemerobium & varennm morbum pertinentia plurima digeruntur. Neque tamen ea ad reliquorum acervos cogere licuit quod ſub typo jam liber æſtuans poſt feſtum aliquid inſeri recuſarit. Suo ævo fortaſſis hoc mutilum quoque à me ſarcietur, aut ſi occurſu ſortis aut Fati à labore reprimar, Lector ſe ad Smetij miſcell. Medica lib. 4. (in quibus epiſtola decima Wieri ad Smetium) recipere dignetur, nec non ad tractatum de vareno morbo, præcipuè ubi de ſignis agit. Si quid eum à Sententiâ noſtrâ recedere invenies, non ſtatim nobis culpa impingatur, poſtquam huic quoque viro labilis naturæ calamitas addita eſt, velut ne me quidem omnia cedro digna dicere tenella eruditio conſentit. Illi vero, mihique benè apprecare, quod publicam rem juvare ſtudemus rei non pervulgatæ explicatione, in qua vel eruditiſſimis ceſpitandi larga occaſio eſſe poſſit. Vale.

## PARALIPOM. SEU PRÆTERMISSUM.

Tabella hæc Medullam, atque integumentum, ſeu corticem intermedium exhibet.



Hæc autem Tabella Germen aut Gemmam in lapillum



gemmeæ nitoris verſam, eicone vivâ delineat, quibus Cocci Medici partibus lapillum è Cocco vulgari Indico, quem *D. Samuel Blommert* dono mihi dedit, adiicere non pœnituit; ut fides & veritas intra tutelam ſuam exempli allegatione conſiſterent, ſerò autem libri appendiculæ inſerta ad paginam 38 referantur, & poſtliminij jure ſine querelâ potientur. Cocci enim Medici partes, ubi ad examen veniunt, hæc quoque ad comitia citari meruerunt.

---

## NICOLAUS CAUSSINUS,

*Vitæ brevitatem per Ponti Ephemeria notat.*

LIII. Parabolarum hiſtoricarum.

*Apodoſis.* Nulla eſt vita non brevis, ſed illorum breviſſima ac ſolutiſſima ætas eſt, qui præteritorum obliviſcuntur, præſentia negligunt, de futuro non timent.

# Authores in duobus hiſce opuſculis conſulti & citati.

*Ariſtoteles.*
*Antonius Nebricenſis.*
*A. Guainerius.*
*Ælianus.*
*Antidotarium* { *Venetorum.* / *Monſpelienſium.* / *Mercati.* }
*Bocatius.*
*Caſparus Bartholinus.*
*C. Bauhinus.*
*C. Barlæus.*
*C. Hofmannus.*
*Claudius Salmaſius.*
*Carolus Cluſius.*
*C. Stephanus.*
*Cardanus.*
*Cicero.*
*Chriſtophorus à Coſta.*
*Dioſcorides.*
*Dalechampius.*
*Feſ. .*
*Franciſcus Pyrard.*
*Galenus.*
*Guicchardinus.*
*Garcias ab Horto.*
*Geſnerus.*
*Georgius Agricola.*
*Henricus à Bra.*
*H. Smetius.*
*H. Wierus.*
*Hollerius*
*Ioannes Heurnius.*
*I. Wierus.*
*I. De Laet.*
*I. Hugo Linſcotanus.*
*Iuvenalis.*
*Leonicerus.*
*Mercatus.*
*Martinus Ignatius.*
*Mathiolus.*
*Nicolaus Fontanus.*
*N. Cauſſinus.*
*Ovidius.*
*Plato.*
*Plinius Major.*
*P. Nepos.*
*Petrus Foreſtus.*
*P. Laurembergius.*
*Pontanus.*
*Ruellius.*
*Sextus Aurelius Victor.*
*Suetonius.*
*Scaliger Pater.*
*Theodorus Gaza.*
*Theophraſtus Paracelſus.*
*Theoph. Gr. Scriptor Botanicus.*
*Varro.*
*Vincentius.*
*Vliſſes Aldroandus.*

Digitized by Google

Viro nominatiſſimo

# AVGERIO CLVTIO

*Patrono ſuo obſervando.*

*OMnia quæ gignunt Cælumque, Salumque, Solumque,*
*Docti profuſis explicuere libris.*
*Tu brevibus chartis cuncta hæc ſi tradere* CLUTI
*Contendis: (facili quâ ratione facis)*
*Et Medicis medicas reſerare hoc ordine vires.*
*Queîs Botane ſemper partibus emicuit;*
*Deſine: te deceat præſenti inſiſtere capto,*
*Quo neglecta aperis, non quoque viſa prius.*
*Erue Theſaurum,* CLUSI *æmule; luminis oras*
*Abdita conſpiciant, quæ latuere diu.*
*Olim conſtabit quam diſtent æra lupinis;*
*Toxica, ſelectis; dira, ſalutiferis.*

E. M. Q.

Coronidem adpoſui *Iohannes Born;*
ære CLUTII non comico, at
Botanico obæratus.

Digitized by Google

# LECTORI.

*Voti noſtri ad rem pertinentis caput eſt, librum ex Typographi tabernâ ſincerum nullis vitiorum maculis fœdatum prodire. Errata verò annotamus ſed magna & decretoria, levia illa veſtro judicio committentes; quemadmodum interpunctorum rationes veſtræ quoque cenſuræ delegamus, ſicuti fortè vel abundent immoderatè, vel mutilè deficiant. Sin & permutata in textum irrepſerunt, ſelectu tuo ea reduci precor. Reliqua autem quæ mentis aut calami vitio rem vel orationem devenuſtant, æquitati veſtræ trado ut ſrdeſcere deſinant. Vale.*

## *Errata ſic corrige.*

In præfatione ad lectorem lin. 17. A. 2.° lege faſtigium, A verſa lin. 17. lege equite. Ibidem lin 23. lege aviditatem.

Capite 1 pag. 1 lin. 9 lege eas potius. Ibidem lin. 16 metamorph. pag. 2 deſideratur inſcriptio (de nuce Medica) uſque ad pag. 19. Ibidem lin. 24. lege anguſtis. pag. 3 lin. 2 dele ut. pag 4 lin. 9 lege torquentur. pag. 5 lin. 14 lege quo. Ibidem lege altera. lin. 21 lege eſſet uſus. pag. 6 lin. 3 lege hujus. pag. 8 lin. 13. adde colores. Ibidem lin. 15 lege nulli. Ibidem lege poteſt. Ibidem lin. penultima lege dum aliæ &c. pag. 9. poſt licet pone (an ex limo prodeat poſtquam) & poſt radicata, (eſt, in in quo germinis acceſſus recipi nequit) pag. 10 lin. 24 lege dituptus. Ibid. lege proſcenium. pag. 11 lin. penultima lege repræſ. pag. 12 lin. 9 lege unum. pag. 15 lin. 4. lege Villoſis. pag. 16 lin. 13 lege ſubſtantiæ. Ibid. lin. 25 lege incantamenta. pag. 22 lin. 13 in locum guſtus pone Saporis. Ibidem lin. 24. lege pœnè. pag. 23 lin. 14 dele quid. Ibidem lin. 23. lege proſcinditur. Ibidem lin. ultima lege extricabili. pag. 25 lin. 21. lege conſtat. Ibidem lin. 24 lege officium. pag. 28. ult. lin. annotata, Ibidem lin. 22 ſcyphi. pag. 31 lin. 5. poſt earum pone Inſularum. pag. 33 lege Garçiæ. pag. 36. lin. 10. lege inſerviant. Ibidem lin 13. promptuarijs. pag. 39. lin 12. poſt affectiones ponatur comma. pag 48. lin 3 pone Syr. ante limonum. pag. 50 lin. 17. lege Venter. Ibidem lin 27. ante 31. claude parentheſim. pag. 58. lin. 3. lege molliore. pag. 59 lin. 1 accurat. Ibidem lin. 8 lege operantis. Pag. 66. in numero error. Ibidem deſideratur inſcriptio (de Hemerobio) pag. 68. poſt ſunt pone plurimi. Ibidem poſt videantur pone eorum ſcripta. pag. 74 lin. 25 lege repræſent. Ibid. lin 25 lege incurvato. Ibidem lin. ultima firmetur parenth. (D. Wiero) pag. 78 lin. 2 lege humano. Ibid. lin. 18 inedia. pag. 80 lin 30. lege lavverniones. pag. 81 lin. 7 lege inſenſatus. pag. 82 lin. 4 lege utendi. pag. 83 lin. 25 lege verminini. Paginarum 84. 85. 88. 89. nuneri reſtituantur. pag. 84 lin. 10. Velavios. pag. 91 lin. 3 lege trahentes. Ibidem lin. 6 lege aſſequi. pag. 92 lin. 8 lege dilute. pag. 94 lin. 14 lege fruatur. pag. 97 lin 18. pone comma poſt præcipuè. Ibid penultima, lin. lege velut.

FINIS.

Digitized by Google